Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de


Caspar Bartholin

Casp. Bartholini Oratoria, Mandato Sereniß. Daniae, Norwegiae, &c. Regis : Edita Pro Scholis Cathedralibus & Collegiis ... ; Primum Hafniae

Rostoch.: Hallervordiano bibliopolio, 1624

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn745842488

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn745842488/phys_0001
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn745842488/phys_0002
DFG

CASP. BARTHOLINI

ORATORIA,

Mandato Sereniß. Daniæ, Norwegiæ, &c. Regis.

EDITA

Pro Scholis Cathedralibus & Collegijs.

Cum Gratia & Privilegio decennali.

PRIMUM HAFNIÆ,

Jam verò ex Hallervordiano bibliopolio Roſtoch.

Anno M. DC. XXIV.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn745842488/phys_0003
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn745842488/phys_0004
DFG

Reverendiss. & Illustriss. Principi ac Domino,

DN. HULDERICO,

Episcopo Suerinensi, Hæredi Notvvegiæ, Duci Slesvici, Holsatiæ, Stormariæ & Dithmarsiæ, Comiti Oldenb. & Delmenhorstio,

Domino suo clementissimo.

QUemadmodum, Illustrissime Princeps, vocem simillimi sunt Libri Liberis: ita rerum eleganti cum vocibus convenientiâ in ijs quę denotatur similitudo elucet luculentissima. Concipit namq; intellectus primulùm instar uteri: quo nomine in hoc juxta & illo futuri fœtus auspicium conceptus dictione insignimus. Cōceptum ingenij format, nutrit, fovetq; judicium; donec hoc maturante partum enitatur fœtúmve suum mens humana lingvâ vel calamo. Editis in lucem liberis, compatribus qui juvent ac defendant, opus est. Editis in lucem libris, consimilibus tamquam Dijs quibusdam tutelarib9. Quamobrem fœtui huic meo Oratorio propatrem quæsiturus, eos

imitandos in Christianis duxi; qui liberis suis sacro baptismatis fonte abluendis, non nisi ejusdem fidei & confessionis compatres ob causas satis momentosas comparant. Ita Illustris, ego Principem libro huic propatrem & defensorē voveo, hisce quippe litterarum studijs impensè faventem, & litterarū patronum quasi natum & factum. Testis est Academia Rostochiensis incredibili beneficiorum cumulo longâ jam annorum seriê à Celsit. V. exhilarata. Testes in patria nostrâ Daniâ complures meliorum Musarum cōsecranei, qui ingenitâ Celsit. V. benignitate immane quàm recreati aurâ q; favorabili. Deum veneror, Ill. Celsit. V. diu benè q; præstare dignetur sospitē; ut litteris litteratisq; tanto in tantâ patronorū raritate annos Nestoreos superfit patronus. Dabam Hafniæ, 3. Kal. Febr. An. Christiano ꝏ Iɔ cXXII.

Ill. Celsit. V. devotiss.

Casp. Bartholinus D. & Prof. in Acad. Reg. Hafn. ordinarius.

Proœmium de Natura Oratoriæ.

CAP. I. DE DEFINITIONE & Divisione Oratoriæ.

Oratoria est facultas in re quaque accuratè & sapienter perspiciendi quæ sint accommodata ad persuadendum.

Ita definit Aristoteles Rhetoricam, si voculam sapienter *demas, veterum more Oratoriam potissimùm intelligens. Cicero ita* 1. *de Oratore: Orator est, qui quæcunque res inciderit, quæ sit dictione explicanda, prudenter & compositè & ornatè & memoriter dicat, cum quadam etiam actionis dignitate. Ubi Cicero sub Oratoris nomine etiam Rhetorem concludit.*

Dari *autem facultatem hanc* Oratoriam liquet: *Cùm enim plerique temerè ac confusè dicant; nonnulli ob*

consuetudinem aliquàm callidiùs & distinctiùs: dubium non est, quin si quis animadverterit, quid sit, cur alij meliùs dicant, si non artem, saltem ejus particulam aut quasi artem invenerit.

Definitum ab Orando dicitur, id est, à dicendo; olim, ab agendis in foro causis: utrumque enim Orare significat.

Orator etiam aliquando Eloquentiæ, Rhetoris, &c. nomine venit, quia nisi priùs Rhetor & eloquens, Orator dici non poterit, aut populo aliquid persuadere.

Genus *vel forma Aristoteli* est facultas sumta *non pro potentia quadam naturali, nec pro quacunque scientia, arte vel disciplina; sed strictè* pro tali disciplina, quæ ad contrarium æquè apta sit; quales duæ tantùm sunt specialissimæ species: Dialectica, (*propriè sumta; non pro Logicâ totâ*) & *Rhetorica laxè sumta pro* Oratoria. *Utraque enim latè in omnia rerum genera,*

nera vagatur, & in utramque partem asserendi modum docet; quæ facultatis vis & natura est. Cur autem neque ars neq; scientia, &c. generis veri vicem sustinere possit, ex definitionibo artis, scientiæ, &c. manifestum est. Hinc Aristotéli Rhetorica (intellige Oratoriam) dicitur μόριον particula, vel παραφυὲς, adnatum quid, vel surculus, itim ὁμοίωμα, simulachrum Dialecticæ propriè dictæ (intelligit autem Oratoriam ut tum in usu erat fori, Politicæ potissimùm instrumentum) unde partem materiæ sumit: at modum tractandi proprium sibi vendicat.

Artem præterea non esse, ut vulgò existimant, liquet, quia instar prudentiæ spectat singulares circumstantias personarum, locorum, temporum; cùm Orator non sit, qui non attendit quis, ad quos, quo loco & tempore dicat. Reliqua definitionis membra in sequentibus capitibus enucleabimus.

Dividimus Oratoriam, in partem communem & propriam. Communis formam Orationis vel dispositionem per partes formales, videlicet Exordium, propositionem, &c. pertractat. Leonimus vocat dispositionem generalem. Propria materiam considerat, vel Inventionem argumentorum in materia, aut utili & necessariâ docendâ in genere didascalico; aut honestâ præclarâque laudandâ in genere Demonstrativo; aut dubiâ deliberandâ, suadendâ vel dissuadendâ, in deliberativo; aut injustâ accusandâ vel justâ defendendâ in Judiciali.

Partes ergo Oratoriæ duæ sunt: Inventio & Dispositio. Nec opus est tertiam partem addere, Judicium, *quippe reliquis partibus ita permistum, ut nec inventio, nec dispositio, immò nec ornatus*

natus Rhetoricus seu Elocutio absque eo fuerit; nec enim invenisse credendus est, qui non judicavit, & sic de alijs.

Cur autem pars de forma agens, eam quæ materiam pertractat, meritò debeat præcedere, videantur Janitores nostri Logici, n. 167, & sequente.

CAP. II. DE SUBIECTO Oratoriæ.

Materia vel subjectum aut commune est, aut proprium & adæquatum.

Commune, (quod subjecti materiale vocant; vel rem stratam & consideratam, quàm aliunde acceptam in usum suum ars transfert; subjectum materialiter denominatum, &c.) Aristoteles insinuat, cùm sæpiùs ait hanc facultatem versari circa ἕκαστον, idemq; Plato, Cicero & Quintilianus confirmârunt. Est igitur res quævis (ut habet definitio) vel quæstio quævis de

re quacunque. Instar Dialectica enim, non est alicujus definiti generis aut regionis, cujus terminis septa teneatur, sicut Arithmetica tantùm est numeri, &c. Unde Aristoteles in Rhetor. ad Theodecten, vocat Rhitoricam & Dialecticam ἀντιστρόφους, id est, similes, proportionales, vel proportione quadam respondentes; non reciprocas, ut quendam voluisse scribit Riccobonus in 1. Rhet. Arist. Quacunque enim in hominum disputationem cadere possunt, objecta Oratoris sunt. Unde non ut olim apud quosdam, ita constrictus est Orator, quin ad quævis se extendat, non moralia tantùm & politica, sed Physica etiam, Mathematica, divina, &c. modò proprio suo modo omnia tractet, argumentis utatur non supra Oratorem positis, & ad finem suum illa dirigat: Secùs si fiat, & terminos artis Oratoriæ egrediatur, non hoc faciet ut Orator, sed ut scientificus, sicut qui verbosè vel in Metheſi vel Physica,

fica, &c. disserit, & ex propriis principijs aliquid demonstrat, non statim Oratoris meretur titulum. Hinc antiquis & nostris comparatis temporibus vel maximè locum habet Ciceronis & Quintiliani distributio, quâ duo Oratorum genera fecerunt. 1. Civilem & Vulgarem, rerum tantùm civilium notitiâ instructum, *qui de rebus ad forenses causas usumque civilem pertinentibus copiosè potest dicere.* Hic olim *potissimùm dicebatur* Rhetor *& Rhetorica Aristoteli conflata ex Dialectica & civili facultate; & talis Rhetorica vel Oratoria politicæ instrumentum solius, non quoad cognitionem, sed quoad actionem qua de re vide latiùs Zabarellam lib. 2. de N. L. unde Sulpitius Victor definivit Rhetoricam doctrinam bene dicendi in quæstione civili.* 2. Sapientem & perfectum, omnium scientiarum doctrinâ expolitum, qui de re quaque propositâ persuadere potest. *Ideo adjectum in definitione:* accuratè & sapienter. *Neque*

que enim perfectus orator ad judicia & forum tantùm tanquàm in pristinum aliquod detrudendus, sed audiendus passim, in scholis, Ecclesijs, conventibus varijs, &c. Atque is est quem hîc instituendum suscepimus.

Subjectum proprium & adæquatum fit, cum additur formale vel modus considerandi materiali isti impressus, nempe τὸ πιθανὸν, persuasibile: Unde liquet, quare Philosophus Subjectum modò ἕκαστον modò πιθανὸν esse dicat. Subjectum Oratoriæ est res omnis vel quæstiones omnes, quatenus persuasibiles sunt (& si materia civilis est, ut ollim potissimùm ab Oratoribus spectabatur, quatenus sunt persuasibiles populariter.) *Unde Philosophus 1. Rhet. cap 1. Probationes solæ ad Rhetoricam, id est, Oratoriam, pertinent.*

Dico populariter, *quia persuasionum tria genera sunt. Primam persuasionem Græci vocant, διδασκαλικὴν, quæ certis*

tis firmisque fit argumentis. 2. δοξαστικὴν, quæ non ita certis & firmis, probabilissimis tamen & subtilissimis rationibus inducitur. 3. πιθανὴν, quæ infima est & maximè imbecillis, levium & popularium rationum vi in audientium animis recipienda: quæ sola olim hujus artis erat propria. primam verò ad apodicticam, secundam ad Dialecticam rejiciebant.

Per πιθανὸν ergo limitatur definitio, nè Dialecticæ competat tractāti ἔνδοξα, verisimilia, quæ à persuasibilibus differunt, ut genus & species, adeoque Rhetorica q. surculus & pars Dialecticæ dicitur. Omnia enim persuasibilia sunt probabilia, non verò contra.

CAP. III. DE FINE ET USU Oratoriæ.

FInis internus & Officium Oratoris, est accuratè videre, quæ in re quaque ad persuadendum idonea sint, licet finis externus, videlicet per-

persuasio non semper sequatur: *Sicut Medicus rectè suo officio perfunctus est, cùm eorum nihil quæ ad sanandum faciunt, prætermiserit, licet sanitas non restituatur. Sic enim nec venatores, nec piscatores, nec alij finem externum semper assequuntur, licet officia & media eò spectantia sufficienter adhibeant. Hinc Aristoteles 6 Top. Cap. 4. ait: Orator is est, qui, quod in quaque re ad faciendam fidem valet perspicere potest, neque quidquam eorum prætermittit. Carpit Aristotelem Goclenius lib 1. probl. Rhetor. cap. 7. quòd Dialecticæ etiam competat persuasio, cùm argumentum Dialecticum sit probabile inventum ad faciendam fidem, fidem autem facere sit persuadere: Zabarellæ autem Aristotelem defendenti, quod in verbo persuadendi sit insita quædam vis, quæ actionem respiciat, ad hoc nõ respondet, sed in hoc refutat, quod dixerit Dialecticũ disputantem nõ velle adversario persuadere. Cæterùm rectè dixit Zabarella, licet quod dixit,*

dixit, rectè non stabilivit. Dialecticus enim quà talis fidem non facit, sed modum docet quomodo argumentis probabilibus quæstio probabilis munienda à quolibet in sua arte artifice, ab Ethico in sua materia, à Politico in sua, &c. ab Oratore autem perfecto, in quacunque quæstione propositâ, ut supra dictum: in quem confluere omnes sapientiæ & facundiæ rivi debent. Dicto ergo loco seipsum ferit Goclenius, cum ait: Omnes cæteræ artes ex principijs suis quodammodo fidem faciunt. Monstretur autem quâ in re fidem faciat Dialectica. Deinde Persuasionem Rhetores accipiunt non pro sola probatione, sed prout est juncta cum commotione cordis & affectuum, quâ auditor movetur non tantùm ut credat, sed etiam ut agat aliquid. Sicut in laudatione, gratulatione, gratiarumactione, voto, &c. persuasio dicitur, licet nihil controversum tractetur. Hinc Valerius dicit Rhetoricam ad iram, odium aut dolorem incitare: vel ab hisce per-

motio-

motionibus ad lenitatem revocare, & studere quemadmodum motum animis auditorum adferat. Ut ita persuadere non tantùm sit probare, sed etiam impellere ad aliquid agendum, id est, cor & affectum movere, ut ad rem vel amplectendam vel fugiendam feratur.

Finis externus, (Keckermanno non malè impulsio ad aliquid agendum) ergò omnino est persuadere. Cor enim auditoris, oratoris est hoc vel illo affectu commovere, quia plerumq; agit cum imperitioribus, qui potissimùm ex sensu pendent, ut quod sola ratione nolunt agere, id agant affectu. Et plus certè peccant homines affectu corrupto, quàm veri ignorantia. Hinc Orator affectum vel gignit, qui non adest; vel auget debiliorem, vel sedat vehementiorem, vel tollit malum; præter statum & fixum affectum videlicet Delectationem, quam spectat & movet Orator in omni Oratione, ut nempe auditor orationem cum voluptate

te audiat. quod fit si 1. argumenta adferantur, non ita vulgo nota, & tamen perspicua ac intellectu facilia, itim rara, nova, magna, admiranda, inaudita, inopinata, inexspectata, improvisa, &c. 2. Dispositio methodica, aptis connexionibus constans, non nimis prolixa aut brevis. 3. Exornatio debita ex Rhetoricis. Quod si hæc omnia majori gradu reperiantur, oritur Admiratio *in auditore. Nam maximè delectant, quæ maximè admiratione digna sunt, 3. Rhetor. cap. 2. Unde Cicero, Eloquentiam ego, inquit, nullam esse existimo, quæ admirationem non habet. Unde* Effecta, Utilitates & Commoditates Oratoriæ variæ *promanant. Nam*

1. *Quid utilius & præstantius, quàm* seipsum Oratione defendere *posse, quod brutis denegatum? quàm* homines docere *de religione, politia, Philosophia, virtutibus, &c.*

2. *Ut* contraria & in utramque partem dicere *possimus, non ut mala per-*

persuadeamus, sed ut feliciùs mala persuadentes caveamus. Non enim æqualiter in utramque partem dicit Rhetorica, sed faciliùs aptiùsque persuadentur vera veroque vicina, quàm falsa & improbabilia. Interim rectè flexanima dicitur. Cujus videlicet tanta, Cicerone teste, vis est, ut inclinatum erigere, stantem inclinare, adversantem & repugnantem capere, animos hominum in quamcunque partem vertere possit.

3. Licet sæculo nostro sublatus sit mos ille orandi caussas in Judicijs, Græcis & Romanis olim usitatus, & legibus hodie non eloquentiâ agantur & dijudicentur omnia: tamen utilis est Oratoria, ut tunc etiam commodè & cum efficacia dicamus, membris justa proportione inter se consentientibus, ne monstrosa fit Oratio. Et hujus artis patrocinio sæpè virtus & veritas indigent ob fortunæ cæcitatem, invidiam, iniquorum potentiam & vafritiem, judicis corrupti affectum vitiosum & præjudicium, præsertim ubi

ubi argumenta sunt langvidiora, minùs obvia, explicatu difficiliora.

4. Ut Reipubl. rectores *plebeis ac* rudibus convenienti *quodam* modo persuadeant, *ubi sæpè exhortando, dicendo, sapienti Oratione cuncta moderando plus efficiunt quàm viribus, consilio & prudentiâ: populum languentem incitant, effrenatum moderantur, &c. Atque hinc est, quòd Oratoria dicitur politicæ instrumentum, non videlicet intelligentiæ doctrinalis respectu, hanc enim Logica præstare potest, sed artificiosæ Orationis; quâ tamquam instrumento proferantur de quibus admonendi cives, trahendi, suadendi, &c.*

5. Militiæ præfecti hac arte, *aut naturali facundiâ*, animos militum nunc accendunt *inflammantque*, nunc *permulcent ac* sedant.

6. Hac legatus legationem cum laude exequitur, *hac maximè persuadebit & exorabit. Quamvis enim nec nostro sæculo legati ad principes verba*

factu-

facturi, præcepta olim data omnia observitent, & apud principes maximè brevitati sit studendum, tamen & sæpè causſæ incidunt longiorem poscentes Orationem; & illud ipsum breve quod dicendum est, permagni interest, quomodo dicatur. Nam in brevitate etiam rhetoricandum, aptaque omnium collocatio, & agendi proprietas personis, loco, tempori, &c. accommodata adhibenda.

Summatim: Hac arte Declamator in scholis, Concionator in templo, politicus in senatu ad populum, in aula, foro, judicijs, consilijs, comitijs, legationibus, & egregium quid in suo quisq; munere præstare *poterit: immò, in communi vita saltem in scribendis epistolis usus elucet.*

Quòd si autem quis bono malè utatur, arti non adscribendum quod abusus invexit. Quo de abusu intelligendum, cùm Philosophi Rhetoricam traducunt & damnant, subaudi sophisticam, fucatam adula-

adulatricem, mendacem & damnosam, ut rectè Goclenius lib. 1. probl. 6.

CAP. IV. DE EFFICIENTE, ipso Oratore; ejusq; requisitis.

EFficiens caussa si in inventoribus quæritur; in proœmio Rhetorices expressa est. Cultores floruerunt in hac arte præclari, & diserti plures Ciceronis tempore Oratores. Cicerone verò superior nemo. In Græcia multi celebres, qui tamen Isocratis suavitatem, Platonis copiam, subtilitatem Lysiæ, acumen Hyperidis, vim Demosthenis non assequuti Oratores egregij Pericles, Demades, Æschines: Demostheni tamen non pares. Romæ excellentes & tamen dissimiles in dicendo Antonius, & Crassus; ad quorũ gradũ non pervenêre laudatissimi Oratores, & tamẽ ipsi dissimiles Cotta & Sulpitius.

Efficiunt autem Oratorem perfectum & eloquẽtem requisita varia. Eloquentem dico (Crassus enim apud Ciceronem disertos inquit se vidisse plurimos, eloquentem verò neminem. Rarò enim

enim requisita omnia in uno reperire licet: Sicuti multa sua quidem exponunt satis clarè & perspicuè, ordinatè, verbis sententijsque ornatè: quorum tamen Oratio frigida, nullos habens ad movendum aculeos, quasi mortuum sine spiritu corpus. Multi etiam diserti non eodem modo semper & in omnibus caussis possunt, & quorum Orationi, si examinetur, multa desunt.

Requisita illa sunt, (quæ aliqui sub duobus generibus, natura & cura comprehendunt.) 1. Felix ingenium & acutum ad inveniendum & excogitandum, animi enim atq; ingenij celeres quidam motus esse debent. 2. Judicium acre ad judicandum & disponendum. 3. Memoria tenax & firma. 4. Ars & Doctrina, eaq; multiplex omnium scientiarum & facultatum: Ut suprà dictum. 5. Rerum usus. Multum enim refert, versatum esse in rebus gerendis. 6. Exercitatio, Consuetudo, praxis & experientia: quâ sponte se offerunt rationes & argu-

argumenta, consilij promtitudo, agendi celeritas & ornatus verborum, sententiarum, &c. Stylus enim optimus est ac præstantissimus dicendi effector ac magister. Unde Ovid:

Solus & artifices qui facit, usus erit.

Et Cicero de se scribit: Ipsa illa si qua fuit in me facultas Orationis, nisi me ad has exercitationes retulissem, exaruisset.

7. Natura, ejusve congrua proprietas, quâ quidam ad Oratoriam facultatem quasi nati & à Deo ficti, quidam omninò inepti, nempè linguâ hæsitantes, voce absoni, vultu motuque corporis vasti atq; agrestes, ut etsi ingenijs, etsi arte valeant, in numerũ tamen Oratorum venire nequeant. Huc spectãt: ipsa formæ Oratoriæ dignitas ejusq; membrorũ quoddam decus ac spectabilitas, vocis claritas & facilitas, morum concinnitas & gravitas, conformatio quædam & figura totius oris & corporis, &c. quæ orationi venustatem, dignitatem & autoritatem adduxit.

dunt. Est enim Oratoris munus non ingenij solùm (ut inquit Cicero) sed etiam laterum & virium. Quæ accendi quidem & commoveri, si modò naturæ insunt, non verò inseri & donari possunt ab arte, si omninò nulla sunt. 8. Virtus, animique rectitudo & sinceritas, existimatio & mores. Sine his omnia illa præclara vim amittunt. Virtus: ex qua sola dignitas & gloria existimationem Oratoris firmat. Existimatio & dignitas Oratoris, ut Cicero probat, addit orationi dignitatem atq; autoritatem. Hinc Aristoteles ait: Ausim dicere maximam ferè omnium vim fidei faciendæ in moribus dicentis esse positam. Probis enim viris magis & celeriùs credimus. Hinc definitur Quintiliano Orator vir bonus dicendi peritus. Et lib 5. cap. 6. unà cum Cicerone 2. de Invent. mores Oratoris fidem facere docet, præsertim in quibus rebus dubitatio est. Quò enim quisque est versutior & callidior, hoc magis invisus & suspectus est auditoribus, detra-

ctâ

& de opinione probitatis. Et quis dubitat Oratori optandum maximè, ut diligatur ab auditoribus, ut fidem ipsi habeant, ut admirentur & suspiciant, ut existiment eum adeptum conjunctam cum virtute prudentiam, credantq; eum loqui ex conscientia, quaq; ipse suo exemplo comprobet. Facile enim & libenter ijs, de quibus opinio nobis est probitatis & virtutis, credimus, maximè ubi res est dubia & rationes nos deficiunt, ad testimonium gravis alicujus viri provocamus. In Oratore ergo perfecto requiritur, & ut vir bonus sit, & ut talis esse videatur; aliàs apud eos nihil proficeret, quibus incognitus. 9. Imitatio, quam arti Quintiliano, exercitationi Cicero subjicit, ab utraq; segregat cum alijs rectè Soarez. Prodest enim probatieres tota mente intueri, & quæ in ijs maximè excellunt, diligentissimè persequendo imitari. In imitatione, occultationis modi sunt sequentes, ex quibus tres priores duntaxat tradit Hermogenes. 1. Ordinis

immutatio, ut quæ primo loco sunt collocata, medio aut postremo ponantur convenienter; ut speciem ordinis aliquam & ipse assequatur. 2. Magnitudo vel dilatatio: ut quæ breviter sunt tradita, imitator pluribus persequatur. 3. Contraria brevitas vel prolixius ab aliis tractatorum contractio. 4. Quartus tertio affinis est, nempe superfluorum rejectio. 5. Omissorum necessariorum additio. 6. Circumstantiarum variatio, considerando quæ nostris hominibus, locis, temporibus, &c. conveniant. 7. Exornatio; ut nudè ab aliis tradita, imitator magis exornet tropis, figuris numeris, &c. aut figuras aliis figuris permutet. 10. Prudẽtia inconsiderantis personarum circumstantiis. Orator enim argumentis rem explicat aut probat pro captu auditorũ: qui si plebei, vulgò notis & popularibus rem confirmat argumentis; si eruditi, solidioribus; parcis adjectis Rhetoricis artificiis. Cæterum Oratoris prudentia (quam decorum Oratorium vocat Junius,

nius, deq; eo copiosè tractat lib. 2. de arte dicendi cap. 21. est considerare tum in seipso, tum in auditore naturalia vel acquisita.

In naturalibus suiipsius sunt. 1. Ætas, *ad quam accommodanda tractatio, vel res tractanda, vox, gestus, &c. Juvenis enim Orator, verecundus & modestus sit, minùs sibi sumat, præsertim in hortando & vituperando, sed in ornatu copiaq; Orationis sit uberior. In sene sint gravitas, autoritas, & brevitas, necessaria tamen non negligens. Viriis ætas medio se habeat modo.* Hac de re Horatius in arte poetica:

Intererit multùm, Davusne loquatur, herusve,

Maturusne senex, an adhuc florente juventâ

Fervidus.

2. Corporis dispositio, *ad quam accommodabit suprà dicta. Neq; enim omnia competunt nano alicui & parvæ staturæ homini, quæ procero alicui & grandi.*

In acquisitis sunt 1. Doctrina, ne plùs vēditet in Oratione, quàm mensura ingenij & eruditionis patiatur. 2. Fortuna: Nam ditiori & potentiori amplius grandiusq; dicendi genus convenit; pauperculo submissius. Neq; enim homo vilis & abjectus aptus est ad movendos eos affectus, ad quos aptus est vir magnæ alicujus autoritatis. 3. Conditio, cujus ratione decorum servandū. Publica persona autoritatem tueatur; privata minùs sibi sumat. Militaris Orator, secus ac togatus, sit brevis strictus & vehemens, adhibeat abrupta exordia, peroratione penetrantes, tropos & voces masculas, gestus, omniaq; velut inter armatos.

In auditoris naturalibus sunt. 1. Sexus. In Oratione ad fœminam conveniunt argumenta molliora, blandiores tropi & figuræ, vox blandior atq; gestus. 2. Ætas. Considerabit Orator ex Aristotele. 2. Rhetor. cap. 12. & seq. mores ætatum, & ad eos Orationes suas accommodabit.

In

In adolescentibus & juvenibus, quod sit *naturæ ardentis & quasi igneæ, impatientes, mutabiles, inconstantes, quod facilè quid expetant & facilè saturentur, studia deligant subita, non magna, non diu durantia: Omnia sperent & sibi polliceantur: quod sint prodigi, voluptatibus dediti, gloriabundi, honorum cupidi, credituli, quia ob ætatem non sæpè illusi, contentiosi, audaces, ad iram proni, fatilè quid asseverantes & mordicùs tuentes, omniáq; se scire opinantes, comes, ad amicitias contrahendas proni, præsertim voluptatis caussâ, conversationis amantes, solitudinis osores, misericordes, putâtes omnes esse bonos, ideóq; præter meritum, si quid alijs accidat, accidere opinantes, in excessu ut plurimùm peccantes, non facilè in defectu.*

In senili ætate *ex lib. Arist. dicto, cap. 13.* quod *mores habeant juvenilibus contrarios, sint timidi, ob frigiditatem; quietis & pacis amatores; qui contra-*

rij damna norunt; suspicaces & diffidentes, quia sæpè decepti; avari, quia sti non facilè parari nummos, facile verò amitti, & quia intelligunt miserum esse carere pecunia, tandemq; quia in hac præsidium quærunt, imbecillitate sua agnita; parum sperantes, sed magis memoria præteritorum viventes, ideoq; semper queruli, quibus tantùm præterita placent; morosi, ideo non ad amicitias propensi, præsertim juvenum, quibus hilaritatem invidens; loquaces, quia ex præteritorum commemoratione, ut laborum, rerum à se gestarum, &c. voluptatem percipiunt, sui laudem amantes, & Oratione temporis tædium levare, viriumq; imbecillitatem verborum copiâ compensare conantur; reprehendentes omnia, facile irritabiles, nâ semper ob virium imbecillitatem contemni se existimant; ob hanc etiam misericordes, aliisque siniſtrè quid experientibus condolentes, quod metuant

unt ne sibi quid simile eveniat; vitæ admodum appetentes, licet diu vixerint, desiderant enim ea quæ sibi deesse videntur.

In consistente vel virili ætate ex lib. dicto, cap. 14 quod medium hic quid sit inter juvenes & senes, modusque, & decorum servetur. Addit ibid. Arist. verissimè: Viget corpus à 30. annis usque ad 35. animus verò circiter usque ad annum quadragesimum nonum.

3. Patria & natio. Varij enim sunt mores gentium, incolarum & urbium, &c. ad quos se accomodabit Orator: qua in re peccant legati Moschovitici, qui nullo discrimine, sive in Dania sint, Angliæ vel Germania, gestu, voce, modo perorandi, &c. perorant, ut in patria barbara. Quædam autem nationes breve & nervosum dicendi genus amant, ut olim Spartani, qui quendam urbe expulerunt Oratorem, quòd diu nimis

& prolixè peroraſſet: quædam uberius, fuſius & ſplendidius, ut Aſiatici, qui ſuperbi erant & luxurioſi.

In Acquiſitis Auditorum attẽdat Orator 1. Virtutes vel vitia, & affectus. Primùm doctine ſint an indocti: Apud illos rejectis ſuperfluis realia magis ſectabitur, niſi verbis magis capiuntur: & ſapientibꝰ proponenda; honor, gloria, fides, juſtitia, &c. indoctis & agreſtibus, emolumenta, quæſtus, &c. Deinde an probi vel improbi. Apud illos ſimiliter honeſtatis; apud hoſce utilitatis vel incommodi argumenta prævalebunt. Voluptuarij quietis & jucũditatis ſunt avidi, moleſtiarum inimici, prodigi Amantes queruli, voluptuarij, blãdi, jactabundi, inquieti. Irati, illatæ injuriæ memores; aliorum famæ detractores, ultionis cupidi. Timidi exiguæ ſpei, inconſtantes oblivioſi, ſuſpicioſi, pericula declinantes, degeneres. Invidi, inhumani, ſapientes, modeſti, temperati, humani, fortunarum contemtores. Juſti, continentes, fortes, pri-

prudentes, pij. 2. Conditionem, ut si publica est persona, ne quid inter perorandum ejus autoritati decedat, sed potius accedat. Sic in magna dignitate; sit modici ornatus oratio, brevibus, acutis & sapientibus sententiis conflata, & coram judice nervosa magis, quam splendida atq; ornata: quòd si adsunt illustres & nobiles, negligatur quidquid ad natalium splendorem extenuandum est comparatum; illud enim ferre admodum pauci possunt. Quod observavit Cicero in Orat. pro Sextio & pro Quinctio. Si privati sunt homines, vulgariores & c. gaudent Orationibus vulgaribus, sed ornatu & copiosis: personæ, voce & gestibus Oratoris magis capiuntur quã reipsâ; Milites verò brevitate pomposâ, voce masculâ, gestibus militaribus. 3. Fortunam. In hanc rem sciendum ex Aristole 2. Rhetor. cap. 16 & 17. De Ditioribus, esse eos plerumq; minùs prudentes, quia fortunæ fidunt; ad superstitionem aut Atheismum valde proclives;

ves ; Elatiores, & insolentiores ; quia precio parari multa intelligunt ; Ostentatores, quia multi eorum egent ope; molles & luxui dediti, tùm quia à teneris ita adsueti, tùm quia his mediis opes ostentant ; sæpè dementes & fatui juxta illud:

Stultitiam patiuntur opes.

Invidentes, avari, contemtores, iracundi, impatientes, curis effluentes, si simul potentes & in publica dignitate, sũt diligentiores in officiis iis qui tantùm divites, cautiores itim, quia insidiatores multos habent, & potentiam conservare gestiunt ; cùmq; injuriâ afficiunt ; majori, quàm alij afficiunt ; quia possunt. In pauperibus omnia contraria sunt ; sed si extremè pauperes, malis plerumque sunt & desperatis moribus. Ad omnes ergò verba facturus se accommodabit Orator. Si mixta est variorum caterva, Oratio attemperanda, ut singulis aliquid convenienter dicatur, maximè verò pro majori & potiori parte.

Tab-

Tandem prudentia Oratoris est, circumstantias loci & temporis cõsidera. *Quo ad locum; non tantùm patriam intelligo, de qua suprà, sed etiam status, officia &c. ut aliter dicendum in republ. Democratica, aliter in Aristocratica, aliter in Monarchica, aliter in schola, aliter in castris, aliter in aula, &c. aliter in ampliori & solenni conscssu, aliter in minus solenni. Quoad tempus: huic serviendum; nec lætatristi tempore proferenda, aut viceversâ. Sic prolixe non dicendum ad occupatos, aut belli tempore, &c.*

Breviter: plurimum interest, quales intersint, qui audiant: Rex, princeps, senatus, an populus, vel judices: frequentes, an pauci, an singuli: docti, prudentes, acuti, senes, occupati, an contrarij: Theologi, an aulici, an milites; hæc vel illa natio: Sitne tempus pacis an belli, lætitiæ vel doloris locus: an scholæ, urbis, obscurus, odiosus, plausibilis. Aliter honorandi

randi & compellandi principes, aliter nobiles, aliter plebei, aliter superiores, æquales, inferiores. Aliter laudandi senes quàm juvenes, ambitiosi quàm prudentes & graves hi enim tectiùs & magis figurate, &c.

Effectus Oratoriæ est Oratio perfecta in suo genere.

CAP. V. DE CONVENIENTIA & Differentia Dialecticæ & Oratoriæ.

DIfferunt *ergo* Oratoria & Dialectica.

1. Efficientibus, *ut liquet ex utriusq; causis.*

2. Species *diversæ unius* generis, *ut supra.*

3. Modo considerandi: *(nam re considerata conveniunt) subjectum n. utriusq; est res quævis vel quæstio; sed Dialecticæ ut probabilis, Oratoriæ veterum, ut populariter persuasibilis.*

4. Fine,

4. Fine, *ut ex utriusq; finibus est dilucidum & utilitatibus,*

5. Dialectica res *quasi* nudas *ad judicandũ* proponit. Oratoria & Rhetorica eas vestiunt, *ornantq;, & affectus ubiq; adjungunt. Hinc veterum illæ similitudines & imagunculæ: ut Zenonis de manu clausâ & apertâ; aliorum de virgine nuda & vestita; de arbore nuda & foliis eleganter comta. quarum illis Dialecticam, his Rhetoricam comparabant. Hinc Cicero Dialecticam Oratori dimittendam esse scribit. Quod tamen de nuda & aperta illa disputandi ratione, non de cognitione intelligendum. Tota enim Logica Oratori maxime utilis, ad rationes quasvis subtilius inveniendas, discernendas, &c.*

6. Ratione usus *& exercitationis* Dialectica est cõmunior, *quia cogitatione & mente exerceri potest etiam à muto.*

Conveniunt. 1. quod *ambæ* occupentur in rebus *quodammodo* cõmuniter

niter notis. 2. Utraque nullum certum genus sibi habes *determinate* subjectum. *Sicut Arithmetica solum numerum sibi determinavit.*

Differt Orator à Declamatore vulgò dicto. Ille enim olim in Judiciis & concionibus causas agebat. Hinc aut docendi alios aut seipsum exercendi gratiâ fictam causam agit, ut in veris postea causis orare possit.

PARS COMMUNIS DE Dispositione Oratoria.

Est hæc pars utilissima pro intellectu & memoria tum Oratoris, tum auditoris. Tædiosi enim sunt Oratores & Concionatores, licet rerum magnâ instructi sint copiâ, nisi sermones concinne habeant dispositos. Sine hanc virtute Oratio tumultuatur, nec cohæret, multa repetit, multa transit, & nec initio nec fine proposito, casum potius quam consilium sequitur.

CAP.

CAp. I. DE DISPOSITIONE totius juxta & cujuslibet partis Orationis, in genere.

CIc. 2. de Oratore scribit non otiosè certè: Nullam partem plus ad victoriam conducere quàm Dispositionē. Quum enim maxima vis sit oportunitatis, quo loco citentur singula, refert plurimùm; & sive aliorum Orationes intelligendæ, sive imitandæ ab aliis scriptæ, magna est dispositionis utilitas. Ut enim acies rectè ordinata multum facit ad victoriam: ita Oratio partibus aptè disposita.

Dispositio est rerum Oratione tractandarum, partium, verborum, &c. apta collocatio.

In tota Oratione & quavis etiam Orationis parte generalia disponendi vel collocandi præcepta observanda sūt omnibus partibus communia.

1. Dispositione Oratoria accommodata sit ad scopum Orationis principa-

cipalem, & ad circumstantias auditorum, loci, temporis, &c.

2. Artificium dissimulandi adhibeatur, si sic amplifices, exaggeres, exornes, ut omnia hæc te facere dissimules apud auditorem, nihilq; præ te ferai, quàm quod doceat & probet, non autem quod moveat vel delectet.

3. Disponenda inventa, non autem aliena aut nimiùm remota, sed propria & nativa cuiqui argumento, materiæ seu themati, quæq; tempori accommodata, personis & loco.

4. Disponenda & dicenda argumenta, non omnia inventa, sed delectus habendus, ne Oratio vel manca vel redundans adeoq; tædiosa fiat. Ultimo hoc extremo plerique peccant, qui id, cujuscunq; ullâ parte possit inferri mentio, ubiq; quæsitum accersunt, sæpe diversa & proposito repugnantia violenter detorta inculcant, ex quo, ut Rud. Agricola ait, in frivolis plerisq; & levissimis rebus nullus neq; modus neq; finis sit.

5. Cùm

5. Cùm tractatur generale argumentum, generalia præmittantur argumentis singularibus: Cùm singulare, singularia: ita simul, ut aptâ connexione & continuatione ex prioribus sequentia dependeant & sponte fluant, sicq; omnia arctè cohæreãt. Quæ ita concatenata Hermogenes 3. de Invẽt. vocat προκληπικώτερα, provocantia, quod unum alterum quasi provocet & prolectet.

6. Dispositorum Connexio magnæ virtutis est & necessitatis, né quid in Oratione hiuleum, interruptum aut pendulum, quod artificium in Demosthene admiratur Agricola, in cujus Orationibus si unum membrum ab altero velis sejungere, totum statim corpus solvatur. Fit hæc Connexio 1. rerum ipsarum cohærentiâ, ut posterius ex primo apte fluat. 2. per particulas: Deinde, prætereà, ulteriùs, insuper, quinimò, jamverò, porrò, &c. 3. per figuras varias, interrogationes Communicationes, occupationes

seu

seu prolepses, transitiones. Transitione rarius tamen utendum, & ejus loco prioribus. 4. Per excitationem auditorum & cohortationem ad novam attentionem. 5. Per rejectiones eorum, qua dici posent, nisi impedimenta obstarent. Nec video, quâ ratione moveri possunt, qui rejectiones tantoperè rejiciunt. Quamobrem, sicuti Logica tractatio nullum requirit Orationis contextum, sed membratim per numeros distingui potest, nec auditorem spectat, sed rem ipsam tantùmodò; ita contra Rhetorica tractatio contextum amat, à numeratione membrorum abhorret, & rem licet uno spectet oculo, altero tamen auditorem.

7. In verborum dispositione naturali, anteponenda genera speciebus, communia propriis, remota proximis, divina humanis, magistratus subditis, vir mulieri, dies nocti, ortus occasui, &c. In dispositione artificiali, Emphatica initio & fine ponantur.

CAP.

CAP. II. DE PARTIBUS Orationis formalibus in genere.

SUnt illæ vel essentiales, principes, perpetuæ, necessariæ & ordinariæ: vel accidentales, accessoriæ, extraordinariæ, minùs necessariæ, adjectitiæ & externæ.

Illæ semper in Oratione omni perpetuò & necessariò adsunt, suntque: Propositio, propositi Tractatio. Tractatio autem in re docenda simpliciter dicitur Explicatio; in re dubia & controversa adstruenda Confirmatio. Vnde Aristoteles ait perpetuas esse partes Orationis: πρόθεσιν καὶ πίστιν, sicut in philosophico foro, primùm quæstio proponitur, deinde demonstratio subjicitur; ut quæstio ponatur propter demonstrationem, & hæc ad illam dirigatur.

Hæ

Hæc neque omnis Orationis sunt, nec penitùs necessariæ; nempe, Exordium, Narratio, Confutatio, Peroratio seu Epilogus. Hinc Leonimus pag. 31. Non tamen hæ omnes ubiq; necessariæ sunt.

Ubi verò omnes conspiciuntur junctæ, vulgatam divisionem pariunt, quod partes Orationis sint sex: Exordium, προοίμιον, Propositio, πρόθεσις, Narratio, διήγησις, Tractatio seu Cõfirmatio, πραγματεία Confutatio, ἀνασκευὴ, Peroratio, ἐπίλογος.

Nam in re simplici edocendâ & explicanda Confirmatio ac Refutatio inutiles sunt & ineptæ.

Refutatio ergò sæpè omittitur, sæpè confirmationi præmittitur, pro Oratoris prudentia & auditorũ circumstantia. Omittitur 1. in re simpliciter edocendâ. 2. cùm ex argumẽtis cõfirmationis res satis innotuit, ut objectiones per se facilè corruãt: aut è dictis facilè à quovis possint everti.

verti. 3. in genere deliberativo, nisi forte eveniat, ut consultãtes inter se dissideãt, tum enim confutatione opus erit, quatenus deliberatio degeneravit quasi in judicialem contentionem accusationis & defensionis.

In plerisq; narratione nullâ opus est, nisi narrationem latè pro explicatione accipias. Narratio enim nunquàm ponitur, nisi cum quæstio est singularis, & controvertitur an hic vel ille rectè fecerit, vel non: cùmque potissimùm accusatur persona vel defenditur, sicut in Oratione pro Milone, singularis est quæstio de Milonis facto, ideò narratio seu explicatio cædis Clodianæ præmittitur. Narratio ergo Judicialis generis potissimùm est, & si in deliberativo reperitur, fit hoc adscititiè & per accidens, ut paradigma quoddam in memoriam revocans præterita, ut de futuris melior fiat consultatio. In demonstrativo licet perpetua quædam quasi narratio esse possit, tamen hoc, ut constituat ipsam laudum

fidem

fidem & confirmationem, monente Aristotele.

Exordium & peroratio sæpè omittuntur, præsertim in Orationibus concitatioribus & senatoriis, quibus aliquid mandatur, & regiè vel senatoriè aliquid dicitur. Hinc Agricola ex Cicerone ait: quòd exordium & peroratio non ad rem, sed ad auditorem pertineant. Valent enim ad impellendos animos magis quàm ad probandum. Hinc aliis dicuntur partes, externæ, vel tractationem præcedentes, ut Exordium & propositio; vel consequens, ut Peroratio. Unde miror scribere voluisse Leonium perrorationem nunquàm omitti posse; cùm in brevi Oratione nullâ opus sit: Conclusio q. vel Epilogus omittetur, cùm uno vel paucis argumentis probatū est, quod intendimus.

Apud Judices Athenienſium Areopagitas lege cautum erat, ut ſine exordiis & affectibus diceretur. Et ſanè omitti poteſt exordium, cùm animus judicis vel ante præparatus eſt, vel cùm præpara-

parari non est opus, ut in deliberationibus, ubi satis ad audiendum promti sunt, qui in deliberandi consessum venerunt.

Alij quinque tantùm partes constituunt; & quartam Contentionem cum Valerio nominant, sub qua Confirmationem & Confutationem comprehendunt. alij, ut Leoninus, septem constituunt, addentes amplificationem ordinariam, quam Confirmationi & Confutationi subjiciunt. Hæc tamen omnibus partibus inspersa est & immixta, præcipuè autem & ordinariè in confirmatione & confutatione dominatur: atque ex ijsdem locis & argumentis sumitur; ex quibus explicatio & confirmatio: imo & amplificatio amplificationis sæpè adhibetur, cùm amplificatio duplicatur vel triplicatur, & unum argumentum amplificans per aliud iterum amplificans; ideò compendij causâ, de amplificatione perculiarē doctrinā in Oratoriâ non instituemus.

Alij

Alij adhuc olim Theodorum Bizantium sequuti, narrationi insuper prænarrationem subdistingvebant, & confutationi superconfutationem addebant; aut cum Lycimnio nugabantur, adeò subtiliter Orationis partes distingvente, ut nè nomina quidem illarum inveniret, & nova effingere cogeretur, veluti irruptionem, aberrationem & ramos. Sic Hermogenes non tantùm narrationi prænarrationem, sed & Confirmationi præconfirmationem addidit. Alij hisce contrarij Orationem unica saltem parte constare arbitrati sunt, continuatâ nimirum rei susceptâ expositione; quod quid aliud est dicere, quàm Orationem Oratione constare ceu parte? Alij Orationem, ingressu, progressu & termino componi, nimis confuse & generaliter dicitarunt, sicut res naturales & artificiales initium, medium finemque agnoscunt.

CAP.

CAP. III. DE EXORDIO.

EXordium est Orationis principium seu prima Orationis pars, ad præparandos auditorum animos comparata:

Hinc exordio non aut parcissimè utendū. 1. cùm Auditores satis præparati videntur. 2. In temporis māgnā angustiā aut cùm festinandum. 3. Cùm moræ impatiens est auditor. 4. aut in audiendo defessus; tùm enim suadent Rhetores loco Exordij fabulam, apologum aut jocum aliquem loco exordij proferendum. 5. aut persuasus est ab ijs, qui jam antea contra nos dixerunt; tum n. ordiendum est ex dicto adversarij, quod postremo loco dixerit, ut facit Ulysses in Oratione sua cōtra Ajacem. Historici & Poetæ plerumq; misso exordio à propositione incipiūt. Ut Virg. Æneid. 1. Arma virumque cano. Ovid. 1. Metamorph.

In nova feret animus mutatas dicere formas &c.

Salustius ita incipit historiam belli Jugurthini: Bellum scripturus sum, quod populus Romanus &c. Oratores etiam in genere judiciali, non semper utebãtur exordio; in parvis etiam atq; frequentibus causis, ab ipsâ re, omisso exordio, incipiebant. In deliberatione sæpè nulla sunt vel brevia.

Dicitur exordium Græcis προοίμιον, q.d. præcentus, sicut & Musici sua habent præambula præparatoria priùs quàm ipsum cantum inchoent, dicta proaulia, ut principium Comœdiarum & Tragœdiarũ dicitur prologus.

Partes Exordii Melanthon, Chytræus & alii cum Hermogene faciunt quatuor. 1. Propositionem exordii. 2. διήγησιν vel rationem propositionis. 3. Amplificationem rationis, ue adversativam, occupationem, vel simile quiddam. 4. Cõclusionem, superiores partes repetẽtem, aptẽq; cum reliquo corpore totius Orationis connectẽtem. Ut videre est in exordio pro Milone. Sed rarũ est, has partes in exordio occur-

occurrere, neq; etiam necessarium, recte monente Quintiliano, imo sæpe inconveniens cùm non uno modo omnes causæ tractentur.

Dividitur Exordium ut sit vel rectum sive apertum, vel obliquum sive occultum.

Rectum, aliis Proœmium vel principium, est, cùm rem ipsam vel causam de qua dicturi sumus, statim aperte circuitionem aliquam indicamus, & sumitur ex causæ ipsius visceribus, vel argumento aliquo pertinente ad naturam argumenti pertractandi, quæ Exordia optima sunt, quia domestica, propria & vernacula. Hoc exordium vocant directum & κατ' ἐξοχὴν, utendum, cùm causa per se est preclara & honesta; itim cùm auditor nobis vel causæ favet, ut cùm bonos laudamus malos vituperamus, pacem suademus &c. Tale est Ciceronis pro Archia: honestum enim erat Ciceronem defendere doctū & eruditum Poetam, præceptorem suum.

Obliquum est cùm circuitione aliqua, occultè & dissimulanter per ambages auditorum animos subimus. Dicitur aliàs Insinuatio, *Græci vocant* πρόλημψιν & πρηναλάλημψιν. *Tali utitur Cicero pro Milone.* Quando *videlicet sumitur exordiũ ex externo aliquo* extra tractationẽ, ut à persona nostra, auditorũ, à tempore, loco, connexione cum proximè dictis, laude argumenti nostri, vel Chriâ *aut eleganti sententia alicujus autoris.*

Tale exordium vocant nonnulli Insinuationem, *quia paullatim nos auditori insinuamus,* quando *1. vel* causſa minùs præclara *est, cùm turpis, paradoxa. Rei autem turpido principio Orationis excusabitur. 2. vel* animus auditoris præjudicio *aliquo est* occupatus, aut aliter *ac iis, qui ante dixerunt* persuasus, & tũ *persuaso pollicebimur nos argumenta adversariorum refutaturos. Posito enim favorabili aliquo principio, sensim ad pro-*

propositum, à cujus primâ mentione abhorrent aures, progredimur. 3. vel auditores defessi sũt audiendo. Tum enim fastidio occurrendum urbanitate opportuna, nempe, faceto aliquo dicto, fabula, historica, &c. ad auditores recreatione excitandos, quos specie etiam brevitatis excitabimus.

Materiam vel argumentum vocãt locos exordiorũ, unde desumi possunt exordia: Sunt 1. *Oratoris subjectum vel res ipsa, & est domesticum atq; optimum.* 2. A persona. I. Nostra: *verecundâ extenuatione nostri ingenij, facundiæ, personæ &c. (ut Cicero facit pro Roscio) modica tamen; ne vel auditori molesta vel dicenti ignominiosa sit.* II. Auditorum, *quorum laudes celebramq. Sed & hoc fiat decenter, citra adulationem.* III. Adversariũm, *si ante dixerunt, quibus cum non certandum convitiis & calumniis, sed modestiâ & rerum bonitate vincendi, ut rectè monet Chytræq. 3.* A causâ impulsiva, *quæ ad*

dicēdum compulit, ut benevolentia aut charitate, necessitate, objecto aliquo exteriori, publica consuetudine, præceptorū aut majorum aliarū mandato, officio &c. 4. A circumstantiis loci, temporis, (ita Cicero pro M. Cœlio) ut ab inauguratione principis, à die natalitio judicis &c. qualitatibus rei aut personæ &c. Ut si Orationes habeantur festis anniversariis in laudes præclarorum virorum, sanctorum &c. 5. Ab Affectibus; Dolore vel cōdolentiâ, lætitiâ, gratulationibus, precibus &c. Exord. Cic pro Murena est à precatione seu voto. Pro Publ. Sextio, à querela. Pro Milone à perturbatione. Paulus plerasq; Epistolas à gratiarum actione vel precibus orditur, quem meritò imitari Theologi, & Christiani Concionatores debent. Ab invocatione etiam solennis erat priscis Oratoribus exordiendi ratio. In gratulationibus exordia sumimus à lætitia, in funebribus Orationibus à luctu seu dolore. 6. Ab insigni aliqua sententia, historia, proverbia &c. sed dextrè ad institutum ac-

accommodetur. Alegulus veteribus vel novis, institutis, eorumq; commendatione vel vituperio. 7. Ex abrupto, i dubitatione, admiratione, inopinato, opinione hominium, fama &c.

Forma consistit in virtutibus.

Virtutes exordii sunt.

1. Inventio alicujus argumenti admiratione digni, minusq; triti, tamē firmi. Ita n. benè de tota causa sperabit auditor. Exulent levia, ludicra. &c. Hinc exordii inventio difficillima, ut annotavit Cicero.

II. Brevitas, nam 1. symmetria partium Orationis servanda: exordium autem est instar vestibuli, quod in ædificiis pænè minimum ad structuram reliquam. 2. In hoc vestibulo auditor si detinetur diutiùs, molestia gravatur.

III. Simplicitas major, id est, ne sint exordia nimis affectata; absint verba & phrases incōsuetæ; sententiis tamē instructa esse possunt. Gesto absint etiā insolētiores. His omnibus namq; putabit auditor sibi strui insidias. Panegyrica tamē exor-

exordia grandiori stylo & periodis constare productioribus possunt.

IV. Modestia. Non sint inflata & turgida; habeant effectus leniores. Nimia enim libertas in exordiis est impudentia, cùm nondum quasi receptus videtur Orator, aut attentionem impetrasse. Liberior tamen esse potest Orator, qui in magna autoritate, verba facit ad se inferiores.

V. Cóvenientia cum tractanda materia, quod præcipuè de domestico exordio intelligendum, sint depromta ex mediis caussæ visceribus aut non longè absint à tractando argumento. Nimis remota & longè petita sunt instar capitis equini corpori humano appositi. Nimis generalia & vulgaria, quibus adversarius æquè ac nos uti possumus, tædium pariunt. Iti hodie communiter in scholis non sine tædio ad imitationem Cic. exordia conficiunt, vel ex loci magnificētia, vel à dicentis indignitate, tenuitate; timore &c. Benè Leoninus de exordio ait: quod quidem decet caussæ & toti Orationi ita esse con-

connexum & accommodatum, ut eo ipso etiam pugnari possit, si necesse sit. Facile autem reperietur apta exordii materia, si primum tota Oratio, omnesq; ejus partes & argumenta considerentur, Neque etiam ante de eo cogitandum monet Cicero. Interim si ante conformationem Orationis exordium excogitaveris, non ob id peccaveris.

Viria exordii sunt, si sit 1. Vulgare, quod in plures causas potest accommodari. 2. Commune, quod potest convenire in hanc æquè ac contrariam partem. 3. Commutabile, quod leviter mutatum, ab adversario potest ex contraria parte dici. 4. Longum, pluribus verbis aut sententiis, quàm satis est. 5. Separatum, quod non ex ipsa causâ ductum, nec instar membri Orationi annexum. 6. Translatum, ut si quis exordio recto utatur, cùm Insinuationem res postulat, aut si quis docilem facit auditorem, cum benivolentiam causa desiderat.

7. Contra præcepta, *quod nihil eorum efficit, quorum causâ exordia usurpantur.*

Fines & Effecta *exordii* sunt Auditores reddere dociles, benevolos & attētos, *quod fiet si virtutes exordii observes. Hæc tamen nō ita exordio propria, quin in tota causa & Orationis cursu diligenter sectanda. Unde Cic. lib. 2 de Orat. ait: Benevolentia, attentio & docilitas, non principii magis propria sunt, quàm reliquarum partium. Ideo quoties offertur occasio, cienda est attentio, & animi defatigati quasi è somno exsuscitādi, vel gravi aliquo lepore aut alia re exhilarante, vel promissâ brevitate, vel dicendo; attendite, audietis rem miram, inauditam &c. Qua in re sophista Prodicus mire vāfer fuit, qui ut auditores somnolentos excitaret, dixit se aliquid ex suâ arte, quam non nisi pretio 50. drachmārū doceret, prolaturū. Exordii autem fines dicuntur: quia si argumentū tractādū est turpe aut paradoxon, insinuatione uti*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn745842488/phys_0060
DFG

utimur ad benevolentiam conciliandam; eam partem, quæ turpitudinem habet, ante omnia diluentes: si humile, vel de re vili & contemta fuerit argumentum; studebimus attentos facere auditores: si obscurum, vel causſa involuta; dociles. Dociles reddes: si summā rei statim diserte & perspicuè proponas ut facile auditores intellectu & memoria capiāt. Attentio vel diligens audiendi studiū conciliatur: promittēdo dicturum te, de ancipiti quodam casu, ejusq; exitu notabili, rebus atrocibus, insitatis, magnis, utilibus, necessariis, novis, mirabilibus, jucundis, arduis, ad religionem Rempubl. salutem auditorum, quæ libenter audiant &c. pertinentibus; Deinde petendo, ut auditores, attentè audiant. Quod Cicero frequēter facit & comicis prologis est usitatissimū. Ultraq;, & attentio & docilitas propositione sæpe aut partitione parantur: Aliquando utile est auditorem non esse attentum, si vel

mala

mala nostra caussa, vel adversarius mirè rem exaggeravit, & tum dicemus contraria, res vel viles esse, vel ad nos nihil pertinentes, vel obsoletas vel odiosas esse conquerendo, risus captandus, omnia extenuãda. Benevolentia, (cujus captatio apud amicos odiosa magis, quàm necessaria) captatur I. a reipsa, si caussam nostram extollimus, adversarium vituperamus & deprimimus: II. â persona, aut nostra: si. 1. nostra prudenter & submissè extenuemus, & impares nos dicamus ingeniis adversariorum, ut magis caussæ bonitate & æquitate ac benevolentia auditorum, quàm nostrâ eloquentia freti videamur. 2. Citra jactantiam commendemus animum nostrum, merita &c. in Rempubl. religionem, amicos, auditores &c. 3. Explicemus nos non temerita te, non quæstu, ambitione, odio &c. sed necessitate officii, cognationis, amicitiæ &c. dicere. Aut â persona laudandi vel defendendi &c. cum ejg recensemg virtutes, merita, ætatem, conditionem, mise-

miseriam &c. & commiserationem movemus. A persona auditorū vel judicum; *si exponamus hominum de ipsis spē & existimationem illorumque memoramus dicta, facta, virtutes, sapientiā, justiciam &c:* A persona adversariorum *illos inducendo vel in odium si scelera & perfidiam modeste detegamus; ne in invidiam, si fastum illorum, vim factiones, potentiam &c. vel in contemtum, si vanitatem eorum, obscuritatem, segnitiem, libidines recenseamus; item si nulla honesta ratione aut officio ad agendum eos inductos, ostendamus*

Disertis verbis non semper opus est benevolentiam & attentionē petere, *imò nonnunquàm supervacaneum, indecorum, inartificiale. 1. Cum Magistratus ad subditos, aut alij superiores ad inferiores verba faciunt. 2. Cum amicus ad amicos. 3. Cum ratione officii quis dicit, & ratione officii alii audiunt. 4. Et de re, quam auditores audire tenentur. Adde*

de artis præceptum esse, artificium occultare, & non dicere te id agere, quod agis. Impellendus ergo vel invitus auditor ad attentionem, re præstanti vel admirabili in exordio allata. In caussa honesta etiam quid opus benevolentiæ conciliatione? itaque animadvertendum, num attentione, num docilitate, num benevolentia opus sit, num pluribus vel omnibus junctis. Deinde degustanda hæc duntaxat in exordio, non consumenda, facilius enim hos fines assequeris in ipso cursu Orationis, cùm doces, moves & delectas, quàm prima denũciatione & pollicitatione, quando omnia adhuc sunt inaudita.

Deinde finis communior exordii est movere affectus; sed ipse prius moveare oportet, idque verbis & vultu significes. Honesta merentur amorem, contraria odium, misericordiam movet calamitas &c. Ab iis autem quæ obsunt, ad ea, quæ prosunt, refugiamus. Si caussa laborabimus, persona subveniat; Si persona, caussa.

Affe-

Affectibus autem in exordio fere lenioribus seu mitioribus, quæ ἤθη vocantur, utimur (ut sunt amor, verecundia moderata lætitia &c.) interdum etiam vehementioribus, sed paullatim crescentibus, quibus commodius utimur in peroratione, interdum etiam inconfirmatione & refutatione. Non est in exordio exclamandum: ὁ rem indignam: ὁ virtutem auream &c.

In Exordio finiendo usitatæ sunt Promissio & petitio. *Promissio 1. contineat laudes auditorum. 2. modeste fiat, promittendo nos breviter dicturos, novi quid allaturos, vulgata aliqua novitate condituros, ut auditores assentiantur nostræ sententiæ, effecturos &c. Petitione rogamus, ut candide & sincere judicant: ut ignoscant, si non pro dignitate verba facimus.*

CAP.

CAP. IV. DE NARRATIONE.

NArrationis vox apud Latines generaliter usurpatur, tum de toto aliquo opere, tum de parte vel breviori aliqua narratiene. Sicut & Arist. 3. Rhetor. c. 13. διήγησιν ad partem significandam adhibuit. Apthonio autem differunt διήγησις & διήγημα, narratio & narratum: quòd illa sit opus aliquod integrum de factis: ut historia Livii, Cæsaris, Herodoti: hoc autem brevior quædam narratio. Ut: quomodò Cæsar sit in curia cõfossus. Differunt, ait Apthonius, ut Poesis & Poema. Ut: Ilias Homeri est Poesis: quælibet particula, ut fabricatio armorũ Achillis est Poema. Sed improbat hanc distinctionem Scaliger. 1. Poet. cap. 2. & sic distinguit: Poema inquiens ipsum opus sive parvum sive magnum significat, vel quasi materiam. Poesis autem formã significat actionis, sive ipsam inventionem poematis.

Narratio est facti singularis per circumstantias brevis, perspicua, verisi-

risimilis & suavis expositio ad persuadendum id quod intenditur: cui secundus in Oratione locus tribuitur.

Materia vel subjectum narrationis est factum singulare, *aliàs omittitur Narratio. Deinde in judiciis non adhibebatur narratio, si res nota esset, nec dubium, quid gestum esset; neq; si adversarius narrabat, nisi cum refellebatur. Sæpè etiam non multum in deliberatione narrandum. Narratio enim est præteritorum aut præsentium: suasio futurorum. Deinde nemò ignorat id, de quo consulit. Extrinsecus possunt pertinentia ad deliberationem multa narrari.*

Objectum *vel materia circa quam narrationis*, est quæstio finita seu singularis, *vel hypothesis, ubi non opus præmittere subjecti explicationem, cū individua plerumque auditoribus sint nota, sed prædicatum resolvetur & explicabitur, per antecedentia, consequentia &c. ut infrà dicetur.*

For-

Forma declaratur virtutibꝰ & affectionibꝰ bonæ narrationis, ut videlicet sit

1. Brevis absque supervacaneis, alienis, tautologiis &c. quò libentius audiatur. Brevis erit, si rem non altiùs, quàm unde necesse erit, repetamus; si summatim etiam narretur. Nihil tamen quod necessarium, est pratermittendum, ne obscuritatem pariat. Quare brevitatem (non ita limitatã) ridiculè hic præcipi ait Aristoteles 3. Rhet. cap. 16. neq; enim semper breviter debere narrari, neq; prolixè, sed quantum satis, ut & intelligatur res gesta, & appareat talis esse, qualem volumꝰ, ut bona, mala, digna laude vel veniâ, injusta &c. itim tanta, quantam volumus. In narrationibus poeticis & historicis plerumque prolixitati indulgetur, & multis omnia describuntur, etiam non necessaria, jucunditatis & ostentationis causâ. Ideò simul sit.

2. Plena: qua explicantur causæ efficiẽtes, principales & minꝰ principales, antecedẽtia, media, cõnexa, consequen-

sequẽtia, partes facti, circũstãtiæ, *quarum numerũ hoc* versiculo *incluserũt:*

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Alii docent in narratione consideranda 1. Personas. 2. Res gestas, vel negotium ipsum. 3. Prætermißa. 4. caussas. 5. Cõsilia. 6. locũ. 7. tempus. 9. modum. 9. eventũ.

Plenitudo dilatatione aliqua etiam acquiritur: si. 1. ratio reddatur de prætermißis. 2. Inquirantur consilia, & caussæ impulsivæ ac finales, cur sic & non aliter gestum sit, & cur aliter geri non potuerit, non debuerit.

In persona describenda *attendi possunt & exprimi hæ partes: 1.* Origo, *& sub hac, patria & gens nationis, familia, genus, majores, parentes, fratres, cognati, affines. 2.* Educatio, *quomodo, apud quos, quo loco, tempore, quibus rebꝰ institutꝰ. 3.* Natura, *& quæ huic spectãt: sexꝰ inclinatio ad mores certos, artes & genus vitæ; affectus, forma & statura corporis, tẽperamentũ, sanitas & ægritudo. 4.* Numerus

merus personarum, *si quis est, principalium, sociarum &c.* 5. Mores, *vel Ethicæ virtutes, aut alij his vel illis ætatibus & ordinibus speciales, ut juvenum, senum, pauperum, divitum, potentum &c. de quibus Arist. 2. Rhetor. itim mulierum, ebriorum, insanorum.* 6. Habitus intellectuales, *peritia rei rusticæ, navalis, militaris, opificiorum &c. aut contraria ignorantia.* 7. Relationes: *ut servus, liber, rusticus, civis, pater, herus, rex, sacerdos, maritq, cõjux, amicq, comes &c.* 8. Actiones *consilia & gesta: & actiones quidem vel perpetuæ, ut vitæ genus, victus ratio; vel incidentes, habitu vel fortuitò.* 9. Perpessiones *fortunæ, eventus consiliorum, honor, mors.* 10. Ubi *habitet, educatus sit, vixerit, fecerit hoc.* 11. Quando *vixit, fecit singula, & quàm diu.* 12. Situs, *sedere, stare &c.* 13. Habitus, *ut cultus corporis, in nuditate, vestitu, armis; & armorum ac vestium descriptio, opes, instrumenta, naves, equi, currus &c.*

Ex

Ex hisce) quæ materia & occasio, unde inquiritur quod in descriptione personæ dicatur) cum commodè omnes adhiberi non possunt, nisi consilium sit principaliter ipsam personam describere, deligendæ instituto nostro commodiores: quod itim de reliquis sequentibus intellige.

Res gesta *vel negotium ipsum*, est quodlibet cõsilium, institutum, factum: publicum vel privatum.

Partes *sunt 1. ipsum* genꝰ facti. 2. Objectum. *Deinde* ratione temporis *sũt* Antecedentia, *quæ occasionem continent*: Media, *ipsum principale negotiũ*: Consequentia *eventum, & quæ hinc sequuntur. Judicia & Censuræ aliorum.*

Tempus: *præsens, præteritum & futurum.*

Locus: Communis, *ut regio, civitas, vicus &c.* vel proprius; *ut domus, Museum. Item* naturalis, *ut aqua, terra, rꝰ, sylva &c.* vel artificialis; *ut navis, hortus, forum &c. Itim locus* superus, inferus, *angustus, montanus, obscurus, luci-*

dus,

dus, saluber, sterilis, desertus, infamis &c itim hisce vel illis incolis aut possessoribus gandens.

Modus *Ut si fecerit iratus, volens, ignorans &c.*

Causſæ, omnis generis: præsertim verò finem & efficientem actionum & factorum Oratores considerant.

3. Perspicua sit narratio, quod fiet 1. si constet verbis propriis, usitatis, significantibus. 2. brevibus sententiis ac periodis absolvatur: ne misceatur hyperbata, parentheses &c. inter narrandū 3. si methodica sit & bene ordinata, nō cōfusa, hiulca, interrupta serie temporum, perturbata & contorta. Inprimis servetur rerū ordo, & eo quo gestæ sunt ordine commemorētur, cum distinctione personarū, locorū, temporū, causſarum &c. aut ordine quo expedit. Unde vulg. hæ quatuor narrationis partes reputantur ordine naturali & methodico. 1. Antecedentia, ἡγούμενα, aliàs προδιήγησις, quasi aditus ad narrandū, sunt 3. rerum gestarum causſæ, consilia & occa-

occasiones. 2. μέσα, media, aliàs διήγησις expositio ipsius actus. 3. Cõsequentia, ἐπόμενα, ut effectus sive eventus. 4. Eventuũ caussæ ordine enumerantur, & tota res breviter reperitur, quidque agendum sit, indicatur, & dicitur ἐπιδιήγησις, narrationis clausula. Exemplum narrationis methodicæ est in Oratione pro Millone, in cujus narratione commemorantur. 1. Cõsilia. Clodius cùm statuisset omni scelere vexare rempubl. &c. 2. Acta. Roma ipse profectus pridie est, ut ante suum fundum insidias Miloni strueret. 3. Eventus. Occisus Clodius. 4. Caussa eventus. Vi victa vis, vel potiùs oppressa virtute audacia est.

4. Probabilis, verisimilis, credibilis, quod fit 1. si consiliorum rationes constent. 2. si facti & eventus cujusque caussæ proferantur. 3. si testata dici videbuntur. 4. Si acceßerit ad materiam, morem & consuetudinem rei, quæ narratur. 5 & quàm proxime ad opinionem ac sensum audientium, autoritatem, legem, morem, religionem, antiquitatem. 6. Atque cum cir-

circumstantiis locorum, temporum, factorum, eventuum, testimoniorum &c. convenerit. Hinc Alcibiadis accusatores narrantes Alcibiadem noctu statuas Deorum confregisse, idq; se ad lumen noctis vidisse, ipsa narratione confundebantur. Ostendebat enim Alcibiades, ut est in ejus vitâ apud Plutarchum, noctem illam fuisse illunem. Ita & Daniel deprehendebat falsitatem accusationis, quâ crimẽ adulterij senes veteratores Susannæ intentaverant. Si res incredibilis appareat; ratione adjunctâ muniatur: quæ si non sit in promtu, præoccupatione excusabis te non nescire rem hanc incredibilem, absurdam &c. videri; esse tamen veram, quod te postea demonstraturum polliceberis; vel provocare te ad quoscunque judices.

5. Cauta. Ut si quid duri occurrat in narratione probationi nocuturũ, aliis interpositis argumentis, narrationem lenianus: aut ubi rei gestæ expositio allatura est offensionem, eam mitigemus:

Sele-

Selegendæ enim res in narratione, respectu judicis, quæ non moveant in eo intempestivum affectum, vel miserationis in adversarium, vel indignationis in causſam nostram. Nam quod in narratione peccatur; in reliquo cursu Orationis emendari non facile potest. Vide Cic. 1. de Invent. & Quintil. lib. 4. cap. 2. Interim narratio non tuntùm in initio, sed etiam in medio, multis in locis per partes inspergi potest.

6. Suavis, grata, jucunda & amabilis, ut auditores facilius occupet, & viam confirmationi sternat. Hoc fiet, si 1. Enumeratæ hactenus virtutes insint. 2. Affectusq; & gestus convenientes aspergantur. 3. Si contineantur admirationes, exitus inopinati, colloquia, & jurgia personarum, dolores, iracundiæ, metus: lætitiæ, cupiditates &c. nova, magna, gravia, inexspectata.

Finis & usus narrationis est, ut ex ea perantur posteà argumenta, quibus factum probatur vel improbatur, &

reus defenditur vel accusatur, adversarius refutatur &c. Utendum autem narratione non nisi cùm prodest. Cùm enim vel ob est, vel nihil prodest, frustaneaz id quod prudens Orator sciverit.

Dividitur communiter Narratio. 1. in veram; ut est historia: & fictam seu fabulosam; quales fabulæ, Comœdiæ, & Poetarum figmenta. Narratio fabulosæ est de Gygis annulo apud Cic. 3. offic. fictam includit in definitione sua Apthonius, cum inquit: Narratio est rei gestæ vel quasi gestæ expositio. 2. In generalem, quæ est generalis ipsius causæ expositio: & specialem, quæ per totam Orationem spargitur, vel laudationis, vel criminationis, vel fidei majoris gratiâ.

Narratio ficta vel fabula, græcè μῦθος, λόγος ἀπόλογος, Poetarum quidem opus est & instrumentum, quo utum-

utuntur ad persuasionem. Oratoribus autem etiam communis est, jucunditatis caussa, inserviens quidem omnibus caussarum generibus, maximè verò deliberativo.

Est autem fabula exemplum fictum, *Arist. lib 2. Rhetor. cap. 20. Apthonio Oratio falsa, sub imagine exprimens veritatem.* Exemplum *autem* est factum singulare, *vel mores singulares alicujus, vel aliquorum*, cum ἐπιεικείᾳ, *vel* adnotatione judiciorũ de facto *aut eventu*: Unde concluditur *gnome vel sententia, omnia ejusdem generis facta eundem eventum sortiri,* idemque de iisdem judicandum. *Sententia autem aliquando omittitur, & si præponitur, dicitur* πρόμυθιον, *si postponitur,* ἐπιμύθιον. *Ut*: David adulter fuit graviter punitus; omnes ergo adulteri puniuntur: Et quia hic & ille adulteri, ideo puniendi. *Confer hic Logicam doctrinam de exemplo, uti diximus, duos syllogismos esse in exemplis. Hæ autẽ*

omnes partes non ita distinctè exprimi solent in oratione; sed aliquando in unam propositionem congeruntur factum & ἐπίκρισις. Ut: David graviter puniebatur ob adulterium: aliquando ἐπίκρισις tamquàm satis manifesta omittitur. Ut Herodes Christum metuēs & quærens, Bethlehemiticos infantes omnes occidi jussit. Non additur, crudeliter, impie &c. quia manifestum hoc est. aliquando & γνώμη & ultima illa conclusio omittuntur, ut in omnibus fere historiographis.

Dicitur Fictum Exemplum. Fingitur autem 1. vel persona tantùm; *cui factum. ἐπίκρισις, vel utrumque tribuitur. Ut cùm hæc tribuuntur inanimatis, brutis, homini ficto in Comœdijs &c. 2.* Factum saltem & *ἐπίκρισις; ut Hercules fingitur ex Jove natus, quod monstra hominum & serpentum confecerit. Persona non est ficta; sed ἐπίκρισις, quod sit ex Jove natus. 3.* Totum *vel omnia.*

Sub-

Subsumitur autem in sententia quoddam universale; cùm factum & ἐφ' ἑκάστοις sunt particularia. Ut Cicadæ esuriunt hyeme. Cantant autem & otiosæ sunt æstate. Ergo otiosi aliquando ignaviæ pœnas luunt, fame &c. Sic contra de formicis, quæ æstate laborant, hyeme verò quod edant, habent.

Fabularum genus Apthonio vel est λογικὸν, in quo homo aliquid facere fingitur; vel morale, in quo consuetudines & mores rerum ratione carentium effingimus; vel Compositum, exutroq; hoc genere. Sed ratione terminorum, qui in fabulis introducuntur, ut sunt Dij ficti, substantiæ naturales, juxta & artificiales, accidentia rerum &c. tot ferè esse fabularum genera possunt, quot rerum sunt genera.

Exempla passim prostant in Æsopo & aliis. Sic de liberalitate fingatur fur canni porrigens panem; vel lupus & mulier pariens, cui iste esse vult obstetrix. Γνώμη est: quorundam beneficia sunt suspecta.

Sicut de Temperantia: Fingatur vulpes irrepens in horreum probè vapulare aut capi. Γνόμη est. Gula multos perdit & intemperantia, &c.

Sed & novas fabulas excogitare facile est, si 1. è Philosophia mutuemur, maximè ex physicis. Ut si de fortitudine agatur, fingantur aliqua de leone, lupo &c. & si de ignavia; Asinus, lepus &c. in fabulam veniant. 2. Fingantur consilia, deliberationes, sensus, intellectus, &c. 3. Quantum fieri potest, sumantur fabulæ à rebus maximè dissimilibus, jucunditatis ergo, & in talibus artis est aliquam invenire similitudinis rationem. 4. Nè appareat quorsum exitura sunt, quæ narrantur, donec exitus inexspectatus advolet, ut in Comœdiis. 5. in rebus ludicris excogitentur caussæ ridiculæ, quasi consilio factæ, &c.

Usus fabularum non est tantùm in initio Orationis, ut olim narrationis; sed passim pro re nata ad auditores delectandos. Nullo autem aut rarissimus usus

usus est fabularum. 1. Cum jucunditas est exigua. 2. In Orationibus seriis, ubi ad adversario, si quis est, aut auditore rideberis, tamquam solidis rationibus destitutus; tùm quòd aniculæ & puelluli talibus delectentur. 3. in rebus divinis & concionibus sacris, ubi majestatem judicia dedecent. Horum loco his sint parabolæ, ut de homine seminante, &c. & anigmata, ut in vaticiniis Prophetarum. 4. parcissimè apud senes & eruditos.

Horum latior diductio & exempla numerosa videantur apud Burchardum, in hisce diligentissimum.

CAP. V. DE PROPOSITIONE.

PRopositio, πρόθεσις, est scopus Orationis, ad quem tota Oratio dirigitur. Alii exordii, alii narrationis partem vitiosè faciunt.

Alia est principalis quæstio, de qua agendum est, Alia sententia totius negotii

summam continens; ad quam omnia argumenta, tanquam ad scopum dirigun-tur. Sed propositio non semper vel quæstio est vel sententia.

Propositio, Græcis κατάστασις, πρότασις, & πρόθεσις κατασκευὴ causæ constitutio. Alias κεφάλαιον; caput, & ὑπόθεσις sive ὑποκείμενον; subjectum, argumentum seu status Orationis. Cui adjungitur interdum Pollicitatio: de qua suprà in exordio.

Est que vel Implicita & Occultata, per totum Orationis contextum sparsa, quæ non nisi integra Oratione audita cognosci potest, & tũ propositio manifesta desideratur, sine qua in ipsam tractationem velut irruimus: Ut fit in laudationibus, adhortationibus, indignationibus, objurgationibus, mandatoriis & senatoriis Orationibus plerisque.

Vel explicita, manifesta, & nuda, quæ expressis & apertis verbis recitatur. Ut tum dicitur: Agam de hanc quæ-

stio-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn745842488/phys_0082
DFG

ſtione: *Licetne Chriſtiano tempore peſtis fugere? Hæc talis eſt, qualis res pertractanda. Ut dicam de Philoſophia &c. ac ſi* quæſtio *eſt* de unica re, *dicitur quibusdam* ſimplex. *Ut: an Deiotarus Cæſari inſidias ſtruxerit? Si* de pluribus; Conjuncta *dicitur. Ut: An Cælius aurum mutuo ſumſerit à Clodia, & an venenum Clodiæ pararit, ne debitum redderet?* In hac *(rarius in ſimplici)* partitione, *ſeu diviſione* utimur, *vel diſtributione, & partium legitimæ enumeratione, intelligentiæ & memoriæ cauſſâ.* Hinc propoſitionem, quando nō eſt ſimplex, partitionem vocant. *Ut Cic. pro A. Cluentio: Animadverti Judices, omnem accuſatoris Orationem, in duas diviſam eſſe partes. Quam diſtributionem ait certum ſibi eſſe in defenſione ſervare, ut omnes intelligant, nihil eum nec ſubterfugere voluiſſe reticendo, nec obſcurare dicendo.* Membra *autem* pauca, *&* ultra tria vel quatuor ne ſint: *aliâ vitioſa cenſetur, & memoriæ inſidia-*

diosa. Ideo in cumulo partes præcipuæ & maximè necessariæ deligantur, & per Rejectionem de alia vel pluribus alio tempore nos dicturos dicamus.

Partitio duplex est. 1. quæ statum & caput caussæ ostendit, aperitq; quid cum adversariis conveniat, & quid in controversia relinquatur. Ut: ab Oreste Clytemnestram (quæ patrem hujus occiderat) interfectam confitemur: sed an filio mortem patris ulciscì matris cæde licuerit, id est in controversia positum. 2. quæ partes & ordinem ostendit. Quâ partitione in omni genere caussarum uti licebit: illa judicii propria est.

Virtutes ergo propositionis sunt 1. Perspicuitas. 2. legitima distributio. In capitibus enim negotiorum, quantum fieri potest, ordo naturæ sequendus maximè, Addunt hic tertiam: ut partes eo ordine, quo propositæ sunt, tractentur. At hoc est tractationis requisitum & virtus. 4. Respectus ad circumstantias: nè de quovis themate apud quosvis, neque quo-

quovis loco tempore Orationem instituamus.

Thema, *materia, argumentum,* vel propositum Oratorum 1. vel est contemplativum, vel practicũ. Illud *est* de rebus metaphysicis, mathematicis, plerisque Physicis, &c. Hoc de Oeconomicis, politicis, juridicis, plurimis Theologicis, aliisq; *facilius in vita cõmuni intelligibilibus. Ideoq; hoc Oratores libentius eligũt, ut ijs, qua facilius in mentem auditoris intrant, facilius affectum moveant. Interdum autem in uno sermone præsertim epistolico & familiari, de pluribus thematibus dicimus.*

2. Est simplex vel conjunctum: simplex est de Ente aliquo vel perfecto vel imperfecto, Perfectũ est substatiale vel accidentale: *Rarius autem Rhetori substãtiæ explicandæ offeruntur: inter accidentia frequentius qualitas & actio; aliquando & passio. Ut si perorandum de Eloquentia, de virtute &c. Imperfectum dicitur hoc loco 1. Individuum*

viduum substantiæ & accidentis. 2. relatio. 3. pars, vel incompletum & partiale aliquod. 4. Collectivum seu aggregatum Ens substantiale vel accidentale. 5. Concretum 9. Privatio. 7. Imago rei 8. Thema falsum & mendax. Conjunctum est quæstio, vel conclusio aliqua: sæpè verò ad simplex revocari potest, licet videatur cõjunctum. Thema conjunctum est 1. vel universale vel singulare.

Universale dicitur quæstio infinita, rectùs indefinita, cum subjectum & prædicatum sunt universalia, & indefinitè atque generaliter sine circumstãtiis personarum, loci, tẽporis, rerum &c. proponitur. Ut: estne bellum gerendum, estnè uxor ducenda &c. Dicitur alias θέσις: aliis consultatio & propositum. alii definiunt ex eo, quòd constet vocabulis apellativis.

Thema singulare est, ubi alterutrũ vel utrumq; quæstionis extremum est singulare & individuum, at saltim singularius, itim cũ res certis circũstantiis

tiùs proponitur. Dicitur aliàs quæstio finita, Græcè ὑπόθεσις, latini causſam vel controverſiam appellant. Ut: An Cæſar juſtè ſit interfectus. Sitnè bellum gerendum Chriſtianis contra Turcos. Sitnè uxor ducenda ſeni, tempore peſtis, illo loco, illis moribus, peregrina, vetula, puella, indotata, obærata, &c. Alij definiunt, quòd conſtet ex nominibus propriis; quod tamen non perpetuum.

Quando transfertur quæſtio infinita ad finitum, dicitur translato θέσεως ad ὑπόθεσιν. Sæpè contra faciendum; & dicitur translatio ὑποθέσεως ad θεσιν, ut præcipit Cicero. Nam ſæpe quæſtio finita abſq; infinita explicari non poteſt. Ut poſitâ hanc finitâ: Sitne jure Clodius interfectus? probari non poteſt, niſi conſtiterit inſidiatorem omnem jure poſſe interfici.

Infinita quæſtio, (ſicut quodlibet problema, imò quodlibet thema) eſt duplex, pertinens nimirum vel ad cognitionem, cujus finis ſcientia, ut terranè

ſit

sit globosa? vel ad actionem, *ut: sitne gubernanda Respublica?* Ad cognitionem, triplex *est:* An sit *ut sintne antipodes? fueritne semper mundus?* quid sit: *ut: quid anima:* & quale sit. *Ut: an cœlum sit coloratum; sitne utile philosophari?* Ad actionem 1. ad persequendum vel declinandum aliquid. *Ut: quibus rebus amicos parare possis, invidiam vitare?* 2. quod ad commodum & *usum* refertur. *Ut: quomodo Respublica sit administranda? qnomodo paupertas tolleranda.*

2. Absolurum vel Comparatum. Illud: in quo quæritur absolutè, an aliquid sit vel non sit, *sit honestum vel inhonestum, facile vel difficile, faciendum vel non faciendum.* Hoc: *cùm quæritur* an aliquid alio *sit* melius, præstantius, &c. *Comparantur autem inter se vel substantiæ vel accidentia, perfecta cum imperfectis, vel perfectis; & imperfecta cum imperfectis.* Absolutumvel

est

est Theoreticũ, ut an aliquid sit vel non sit, sit verũ vel falsum; vel practicũ, *cum quæritur* an aliquid sit honestum vel inhonestum, justum vel injustum, utile vel inutile.

Quæstio genus ex *prima constitutione, vel* primo causſæ congressu ortum, dicitur STATUS, στάσις, *vel quia hic subsistitur, ut post videbimus, vel quòd in eo causſa consistat; aliàs vocarunt* κεφάλαιον & ὑπόθεσιν *seu* ὑπαχεύμενον, *unde alii subjectum, materia & summa operis. Leonino status est ipsa præcipua & validissima propositio sive conclusio, & fundamentum, quo summa negotii & victoria maximè nititur. Alii definiunt principalem quæstionem, vel etiam quamcunque propositionem, summam rei continentem, ad quam omnia argumenta referenda. Alii controversiam vocant, cõstitutionem causſæ, &c.*

At differt *status* à propositione. Status est quæstio constans affirmatione & negatione, *vel quod idem, intentione & depulsione. Ut: An Roscius patrem occiderit? Accusator ait, defensor negat* Propositio *verò* est alterius harum partium assertio. *Ut propositio Orationis pro Roscio est: Roscius iumnon occidisse patrem.*

Et quamquam status caussarum generibus communes sint, ut rectè monuit Chytræus in sua Rhetorica pag. 450. & 514. & Cornel. Valer. in tab. Rhetor. pag. 37. & Kecherman. Syst. Rhetor. cùm in omni controversia status aliquis sit themave, in quo stare vel pedem figere oportet Oratorem: (Ger. Vossius verò lib. 1. cap. 6. in judiciali & demonstrativo tantùm statum esse existimat) magis tamen variis speciebus in judiciali genere se exserunt. Unde plerique cum Cicerone, Soario & aliis statuum doctrinam in genere judiciali, tamquàm propriam hujus

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn745842488/phys_0090
DFG

jus loci pertractant: generalius vero Antiquus Leontinus hoc loco proposuit.

Veteres autem status *judiciali generi caussarum adjudicarunt, quia potissimum Rhetoricam intra fori & judiciorum concellos coarctarunt.*

Status *autem* tres *vulgò numerantur; Conjecturæ vel* facti, nominis & qualitatis. *Quicquid enim in controversiam venit, de eo quæri solet. 1. An sit 2. quid sit. 3. quale sit.* Unde *emergunt status:* Conjecturalis, definitivo & juredicialis. *Adjici posset quartus, videlicet quantitatis. Ut quam magnum aut quàm pervum sit factum: ut quænam sint minores vel graviores injuriæ.*

In Statibus autem sex sunt præcognoscenda. 1. Φάσις, *intentio vel criminatio accusatoris. Ut occidisti Milo Clodium. In statu nominis. Sacrilegus es. In statu jurediciali: Occidisti sororem tuam Horati. 2.* ἀπόφασις, *depulsio defensoris vel rei: & vel per negationem*

nem rei, ut in ſtatu conjecturæ, Depulſio Milonis. Non occidi: vel per negationem nominis, ut in definitione, Non ſacrilegus, ſed fur: vel per affirmationem, ſed jure; ut in qualitate, Occidi Clodium, ſed jure, occidi. 3. ζήτημα, quæſtio vel ſtatus ex duobus prioribus natus. Ut: An Milo Clodium interfecerit, quod etiam in ſtatu conjecturali dicitur κρινόμενον; in quo ſequentibus partibus non eſt opus. 4. ἄλλον, ratio, quam criminis depellendi cauſsâ reus adfert. Ut in ſtatu nominis αἴτιον Titii rei (Non ſum ſacrilegus) quia prophanam rem ſuſtuli. In ſtatu qualitatis. Ratio Milonis tamquam Rei. Nam inſidiatorem fas eſt occidere & vim vi repellere. 5. σύνεχον, firmamentum accuſatoris. Ut in ſtatu definitivo: Ex templo illam rem ſurripuiſti. In judiciali: At hominem indemnatum occipere tici non licuit. 6. κρινόμενον, ex duobus prioribus natum, vel quæſtio principalis in ſtatu definitivo. Sacrilegiumne an furtum commiſerit. Titi-

Titus, quòd prophanam pecuniam ex templo sustulerit In | Iurediciali: An jure Milo insidiatorem Clodium indemnatum occiderit.

Status ergo Conjecturalis, est cùm quæritur, An sit, *cùmq; de facto vel dicto est disceptatio. Ut: An Roscius occiderit patrem. An Archias sit civis Romanus. Ita dicitur: quia* conjecturis id investigatur. *In genere enim consideratur hic status, non prout ad accusationem & defensionem restringitur in genere judiciali.*

Status nominis, definitivus seu legitimo est cũ qnęritur quit sit, vel quo nomine vocandum; cùm non factũ, sed facti nomen negatur. *Ut: fueritne Cæsar rex, an tyrannus, an dictator. An ille qui ob interfectum regem Galliarum ultimo supplicio affectus est, sit martyr dicendo, an parricida. An peccatũ sit tandùm cogitatũ, dictum, vel factũ cõtra legem Dei, an simul etiam ingenita pravitas & originalis concupiscentia. Ad hunc*

sta-

ſtatum plurimæ controverſiæ de dogmatibus in Eccleſia pertinent.

Dicitur legalis: quia propriæ & legitima explicatio adornatur in ſcripto & ſententia &c.

Species ſtatus definitivi Ciceroni in partitionibus tres ſunt, Autori ad Herennium 5. in quibus ratiocinationem omittit. Aliis ſtatus legales ſex ſunt. *Aut enim definitio rei quæritur, aut cõtrariorum explicatio, aut obſcurorum, ambiguorum, aut novæ cauſſæ deciſio deſideratur, aut cauſſa in aliam diſputationem transferenda eſt.*

1. Status definitionis ſpecialiter ſic dictus, *qui perperam ab aliis omittitur,* cùm aut de vocabuli interpretatione contenditur, aut quid res ſit, declarandum eſt, *& quousque rei ſignificatio, vis & Etymologia ſe extendat, & quid contineat. Ut: An factum Oreſtis, qui matrem occidit, ſit parricidium, aut homicidium, aut ultio paterni ſanguinis.*

2. Ἀντινομίας seu contrariarum legum status. Cùm leges tanquàm contrariæ controversiam pariunt, *aut cõventa, pacta, sententiæ, scripta &c. inter se dissentire videntur. Ut Antinomiæ sunt: Non furtum facies, & mandatum ut Hebræi spoliarent Ægyptios. Huc sæpe spectant Orationes textuales, quando textus pugnantes inter se conciliantur.*

3. Status scripti & sententiæ, στάσις τῆς ῥητῆς, καὶ διανοίας, cùm ex scripto aliquid ambigui aut absurdi oritur, de cujus sententia controvertitur. *Ut cum Christus dicit Joh. 3. solvite templum hoc, & tribo diebus excitabo illud. Quod Judæi acceperunt de tẽplo Hierosolymitano, Christus de templo corporis sui. In hoc statu controversia oritur de sensu scriptoris, & unus pro litera, alter pro sensu pugnat: quales sæpe sunt Orationes textuales, vel textum aliquẽ explicantes.*

Hujus ergò status duæ partes sunt:

I. Ni-

1. nititur simplici verborum significatione. 2. mentem & sententiam scriptoris respicit.

3. Status ambigui, cùm vox vel nimis generalis, vel plura significans cõtroversia parit. *Ut Canon est in Jure Pontificio: Sacerdos uxorem ducens suspendatur. Quam vocem ultimam quidã de suspendio interpretantur, quidam de suspensione vel remotione ab officio. Itaq; de ambigui interpretatione quæstioni institui potest, ut non opus sit cum Kechermanno hanc statum eliminare.*

Potest autem ambiguitas esse vel in una voce vel pluribus: vel in accentu, vel constructione, &c. Objiciunt statum hic propriè dictum nullum esse, cùm ambiguitas prius tolli debeat, quam status controversiæ constituí. R. imò controversia prima esse potest de vocis ambiguæ interpretatione. Ut: Testamento quidam jussit poni statuam auream hastam tenentem. Quæritur: Statuane hastam

tenens

tenens aurea esse debeat; an hasta aurea in alterius statua materiae?

5a Status Ratiocinationis. Est cum simile aliquid propriam legem non habens ex aliis legibus judicatur. *Ut: lex est: Parricidia culeo insuatur. Idem de matricida judicatur, quamvis de eo nulla peculiaris lex. Sic De Paedobaptismo non exstat expressum in scriptura mandatum, sed ratiocinatione quaerendū est.*

In ratiocinatione ergo quaeritur, an ubi propria lex non est; simili sit utendum? Quod notandum contra Kechermannum hunc statum rejicientem tamquām fictitium.

6. *Adjicitur ab Hermogene eumq; sequentibus* status translationis, *Graece* μετάληψις *&* παραγραφὴ *Ictis status exceptionis vel exceptio; estque cùm reus litem detrectat, nec ad rem respondet, sed exceptionem aliquam opponit. vel judicis non competentis, vel illegitimi processus, &c. Exemplum exstat in 1. de Oratione,*

in-

inter Hypſæum & Octavium. Eſtque I. Ctis duplex: Dilatoria, cùm actio tantùm differtur, manente principali negotio; & Peremtoria, cùm omnis actio vel jo agentis perimitur & tollitur. Hunc rectè monet Kechermannus, non tàm ſtatum eſſe, quàm reſponſionem ad ſtatum.

Uſus hujus ſtatus plerumque quidem in Judiciis: in genere tamen nos inſtruit, quandò contentionum eventus dubius apparet, caput controverſiæ, quacunque arte, ſi fieri poteſt, declinandum, nec ſemper ad rem reſpondendum.

Status Juredicialis, Quintiliano & Fabio qualitatis, Græc. ποιότητος ἢ δικαιολογίας, eſt cum de facto conſtat, ſed quale ſit quæritur, *jurè-ne an injuria, benè vel male, recte vel ſeeus factum aut dictum.*

Dividitur à *nonnullis* in negocialē, cùm de re agenda quæritur, *rectene & honeſte fieri poſit*; & propriè dictū judicialem, cum quæritur de factis præteritis: *ut: Jurene Julius Cæſar*

sar à Bruto & reliquis conjuratis occisus. An Clodius jure à Milone occisus nec ne? An Horatius jure sororem interfecerit? Status facti *rursùm* duplex: Absoluto, ἀντίληψις & φύσις ἀντιληπτική, Cum factum *aliquod de jure* defenditur simpliciter, sine ullo argumento defensionis extrinsecùs assumto. *Ut: Pater filium verberavit, is injuriarum patrem accusat; pater nihil aliud defendit, nisi licere filium à patre verberari. Hoc genus rarius est.* Et assumtivus, cùm factum assumtâ re externa defenditur. *Græc.* ἀντίθεσις seu ποιότης ἀντιθετικὴ ἢ προσληπτική *Ut: Eva fatetur se comedisse de pomo vetito, sed deceptam & impulsam à serpente. Milo fatetur occisum Clodium; sed à Clodio prius sibi structas insidias.*

Hujus species sunt 1. Concessio, cum non defendimus crimen, sed studemus illud mitigare, & veniam petimus. Estque vel Purgatio vel deprecatio. *Purgatio, cum non consultò, sed per for-*

tunam aut errorem, aut adfectu aliquo, ut ira, metu &c. incitatos nos peccasse fatemur. Talis est defensio Horatii in primo Livii, qui sororem occiderat: Quòd non dolo modo aut insidiosè, aut lucri causâ, sed heroica quadam indignatione & nimio amore erga patriam impulsus sororem occiderit, quæ mariti incolumitatem saluti patriæ anteferebat. Deprecatio est cum peccasse nos & quidem consultò fatemur, sed imploramus misericordiam & veniam petimus. Exempla sunt in Orationibus pro Milone, Cælio, Ligario. In toto secundo libro Tristium Ovid. in Psalmo Davidis. Miserere mei Domine.

2. Translatio criminis: *Cùm culpa in alium transfertur. Ut*: Adam inquiebat: Mulier, quam dedisti mihi, me decepit.

3. Relatio criminis: Cùm alterius injuriis priùs nos lacessitos ostendimus. *Ut*: Orestes cædem matris à se perpetratam excusat, quòd ipsa priùs patrem interfecerit.

4. Com-

4. Comparatio. Cùm ex utilitate publica, *vel id quod Reipubl. utilius*, nos feciſſe defendimus. *Ut: Pro Milone defendit Cicero, Clodii cædem profuiſſe Reipubl. & utilius fuiſſe eum interfici, quàm ſuperſtitem relinqui.*

CAP. VI. DE PROPOSITI Tractatione ſeu explicatione, & Confirmatione.

HÆc pars primaria eſt Orationis & eſſentialis, quæ Confirmatio dicitur, ubi res cõtroverſa eſt, & probandum quid vel theoreticum, *ut an verum aliquid ſit vel falſum;* vel practicũ, *ut an juſtum vel injuſtum, honeſtum vel inhoneſtum, facile vel difficile, faciendum vel non faciendum.*

Explicatio *autem* eſt conſideratio *unius* & ſimplicis thematis *ſeu propoſiti* ſive ad rei noritiam, ut in genere didaſcalico; ſive ad affectũ laudis vel vituperii, ut in demõſtrativo, *ingeneribus*

judiciali & deliberativo præcipuè locum habet Confirmatio, quæ etiam in didascalico, ubi controversia aliqua explicatur an verum aliquid vel falsum; & non nunquàm in demonstrativo, ubi aliquid probandum.

Sumitur autem explicatio ex iisdem locis, ex quibus Confirmatio.

Confirmatio est propositionis controversæ per argumenta idonea probatio. Quâ stante stat propositio, corruente verò concidit.

Definitum Ciceroni nonnunquàm contentio, aliis simpliciter probatio, quamvis sub utraque hac voce alii etiam refutationem comprehendant, eò quòd per κρύψιν aliquando refutatio confirmationi immisceatur, & objectiones inter confirmandum solvantur. Ut in Oratione pro Archia, Quintio & similibus. Græci πίστιν, ἀγώνα καὶ ἀπόδειξιν latiori complexu acceptam, appellarunt.

Dicitur propositionis Controversæ; quia

quia non controversæ dicitur & est Tractatio, de qua supra.

Per argumenta. Hæc Rhetores ἐπιχειρήματα, quæ quibusdam brevissimæ sunt argumentationes, nominant, quorum alia, ut annotat Dresserus ἀποδείξεις seu πίστεις specialiter, certitudine & evidentiâ auditorem convincentes; alia πιθανὰ probabilia, & popularia atq; ad persuadendum quocunq; modo accommodata. Unde verò desumantur argumenta, ex locis videlicet tam communibus, quàm propriis, in quovis causarum genere Inventio vel pars specialis docebit.

Materia vel objecta confirmationis sunt 1. Quæ non sunt manifestæ veritatis; nam sic probatione non opus. 2. quæ non nimis manifestæ falsitatis. Talia enim confirmare esset hominis improbi, maximè si serio dicatur, aut offendat aures honestas, aut bonos mores corrumpat &c. Sed 3. Media vel quæ propter varietatem circumstantiarum aliter atq; aliter se habere possunt, vel qua-

auditoribus non satis cognita, licet vera.

In dispositione *autem* Confirmationes *spectanda 1. Forma argumentorum, eorumq; inter se ordo & dispositio. 2. Dispositio vel ordo propositionum in iisdem. 3. Dispositio vel collocatio argumentorum confirmantium.*

Quoad formam: *non necesse est, immò ut plurimùm prohibetur argumentationem in figura & modo instar Logici proponere, sed* artificium Logicum occultandum. *Hinc* utplurimùm utuntur Rhetores.

1. Enthymematibus, *tùm tædii fugiendi causâ, omittendo propositionem aliquam satis notam, tùm occultandi propositionem aliquam suspectam. Hinc Enthymema est quasi propria Oratorum argumentatio, & Aristoteles passim in Rhetoricis Enthymema vocat ratiocinationem Rhetoricam. Ut: Clodius est jure occisus, quia struxit insidias.*

2. Ex-

2. Exemplis, *quæ sunt inductiones Rhetoricæ: & aliis inductionibus; quando disputant de facto aliquo singulari.*

4. Dilemmatibus, *utrinque adversarium constringentibus: inquibus valde efficacem fuisse Hortensium testatur Cicero. Soritis etiam usus est nonnunquam.*

4. *Interdum licet, sed rarissime* syllogismis *uti* integris *in formâ Logicæ; quod & Cicero fecit tum aliis in locis, tum pro M. Cælio & Quintilianus in declamatione, cui titulus: Ignominiosus, contra tres rogationes.*

5. *Sæpe usus est* syllogismorum ducentium ad absurdum: *ut posita adversarii* sententia, *& adducta propositione auditoribus indubia, absurditates cumulentur.*

6. Enumeratione, *quando reliquis infirmatis partibus, una comprobatur. Ut: Si voluisset te C. Cæsar, Dejotarus interficere; aut improbus fuisset, aut furiosus, aut inconsultus: sed neutrum est. Ergo noluit te interficere.* Cæterum

curandam inprimis. 1. Ut non uno sed variis argumentationum modis Orator utatur; nam varietas satietatem odiosam arcebit. 2. nè ratiocinationum & Enthymematum turba confertæ sit Oratio Dialecticarum enim disputationum potiùs quàm Oratoriæ dictionis speciem habebit.

Quoad Ordinem formarum syllogisticarum inter se 1. hunc laudant plerique, ut syllogismus præcedat, exempla in medio, Enthymemata in fine adhibeantur. Sed nulla hic necessitas. Nam quando his vel illis utendum formis, non tam præceptis artis quàm prudentiâ Oratoris decerni potest. 2. In quæstionibus singularibus, ut cùm quæritur an hic vel ille rectè fecerit &c. Unus aliquis sit syllogismus principalis, ad quem reliqui omnes tamquam quidam prosyllogismi ab eo dependentes, referantur. Ut in Orat. pro Milone. Principale argumentum est: Vim vi repellere licitum est: Milo hoc fecit: Ergo cædes ab illo non est facta.

facta contra Rempubl. Hæc ratio per omnes partes Orationis illius tamquam sanguis per venas diffunditur.

Sed notandum, hoc præceptum non esse Universale, contra quam Philippus, Dietericus & Rhetores scriptitant communiter alii sed tantùm in thematibꝰ singularibus, uti dictum.

Ordo propositionum in syllogismis Oratoriis est varius.

1. In forma logica, *ut suprà dictum; sed* rarissimè.

2. Arbitrarius & crypticus; *ut primo loco ponatur conclusio vel assumtio; secundo loco propositio aut conclusio; tertio, propositio major aut etiam assumtio: quæ varietas observanda; prout commodum videbitur Oratori prudenti pro re vei auditore præsenti hanc vel illam propositionum dispositionem accersere. Similitudo autem formarum vitetur; semper enim & ubiq; si eadem utaris argumẽtationis forma, & propositionũ ordine, tædium paries atq; molestiam.*

3. Aliquando junguntur tamquam in unius propositionis speciem Cõclusio & propositio, quandoque pro utrisque sola propositio ponitur.

4. Aliquando *adhuc concisius* totus syllogismus unica *in speciem* enunciatione comprehenditur.

Quo pacto autem disponuntur partes syllogismorum primariæ, eo etiam propositionum rationes, vel prosyllogismi.

5. Diffusior sæpissime forma adhibetur, quæ ἐπιχειρηματικὴ *dicitur, vel* syllogistica coagmentatio; quinque partita; *aliis collectio* tùm partium syllogismi, tùm rationum, *quibus propositiones probantur.* Eaq; *Rhetoribus vel directa vel indirecta.* Directa; *cujus* 1. *Conclusio statim ponitur, & dicitur* πρότασις, *propositio: id quod probandum. Ut*: Milo non struxit insidias Clodio. 2. αἰτιολογία, *vel* αἴτιον, *ratio propositionis. Ut*: quia secum duxit uxorem, liberos & ancillas. 3. κατασκευή, *rationis comprobatio, vel confirmatio. Ut*: Nam qui

qui alicujus vitæ clam insidias volunt struere; hujusmodi impedimenta domi relinquunt. 4 ἐξεργασία, exornatio seu expositio, (quæ interdum, ut quadripartita sit forma, tamen omittitur) Ut: Quid enim timidius fœminis? quid delicatius? 5. συμπέρασμα, complexio vel conclusio, quæ breviter propositionem cõcludit. Ut: Quare ex his constat, Milonem non posuisse insidias, sed Clodium.

Indirecta, alii Ratiocinatio, logicam sequitur collocationem: ubi ponitur 1. πρότασις propositio, vel major syllogismi. Ut: Cassius sapientissimus judex quærere solebat in caussis criminalibus, cui bono fuisset mors interfecti. 2. αἴτιον sive προσυλλογισμὸς, ratio majoris hujus. Ut: Nam sic est vita hominum, ut ad maleficium nemo sine spe atque emolumento accedere conetur. 3. πρόσληψις, assumtio vel minor. Vt: Adversariis autem mors Roscii profuit. 4. Prosyllogismus minoris vel ejus confirmatio. Vt: Nam qui antea fue-

fuerũt inopes, subitò facti sunt locupletissimi. 5. Complexio vel conclusio. Ut: verisimile est igitur eos conscios cædis esse.

Quæ autem propositio potissimum urgeatur, sciendum 1. Conclusionem principalem semel aut bis tantum inculcari, posteà reticeri. 2. Majores propositiones rarius poni quam minores, nisi quando minor est infirmior: tum enim illâ dissimulatâ Orator majorem urget, inq; ea triumphat. Sic in Orat. pro Milone Cic. in minori (Milo vim vi repulit) probanda pars est, quæ tamen omnium maxime probanda fuisset: in majori autem, (vim vi repellere licet,) non controversâ, plus satis occupatus.

In collocatione argumentorum confirmantium 1. præmitti possunt principia & hypotheses, pertinentes ad quæstionis dijudicationem, & velut præcognita quædam, videlicet Definitionem subjecti vel prædicati; propria & effecta illustriora, distinctiones & limitationes ambiguitatum &c. non tamen nimis sub-

subtiles: deinde ad argumenta tractanda accedendum. Idem etiam fieri & præmitti potest in refutatione. 1. Firmissima aliqua argumenta, *ut a definitione, divisione, causis, effectis &c. primo loco ponantur, aut ad minimum unum, quo occupetur auditor, avidè exspectans quæstionis probationem, statim ab initio moveatur:* Ultimo loco iterùm firmum aliquod & *nervosum, quocum dimittatur; illud hæret tenacius.* Medio loco minùs firma; *nam illa negligentius audiuntur. Id quod exemplo Nestoris instruentis aciem apud Homer. Iliad. 7. illustrat Dresserus in Rhetor. Vitiosis autem nusquam locum esse oportet.*

III. Delectus servetur *in adhibitione argumentorum*, ubi materia est fertilis, *ne quævis quovis loco ponantur, sed convenientiora, nervosiora, concatenata, ut unum quasi ex altero fluere videantur. Reliqua minus nervosa obiter & velut aliud agens inspergat Orator, ut debilitas eorum occultetur, quando con-*

jun-

junctim cum aliis argumentis eminent. Quod verò firmissimum est, bis vel ter inculcetur, cum admonitione, ut perpendatur, an à quoquam possit infringi. Artis enim est, ubi res requirit, prolixitatem; ubi verò rei vel auditorum ratio ità exigit, brevitatem in argumentis sectari. (*Vide cap. 1*)

IV. *Argumenta non nimis constipentur; sed* interponantur frequentes dilationes, digressiones &c. *Præsertim crebriores sint in materia sterili, ubi paucorum argumentorum inventio Alioquin Orator à Logico non differret, qui nudè & simpliciter argumenta sua proponit; Oratoris autem est, varium amplificationis ornatum addere; non semitis sed campis ferri; non ut fontis, angustis fistulis decurrere; sed instar latissimorum amnium totis vallibus fluere, ac sibi viam, si quando non acceperit, facere.*

CAP.

CAP. 7. VII. DE CONFUTATIONE.

Confutatio & Confirmatio sic inter se gignuntur.

Confutatio est contrariæ sententiæ impugnatio, ejusque argumentorum solutio. Græce ἀναπόδη, λύσις, ἀντιλογία; argumenta verò hujus generis dicuntur ἐπιχειρήματα ἀναπόδεικτικὰ καὶ λυτικά.

Aliquando præcedit confirmationem, nempe cùm 1. respondemus ad aliquid: *alioquin si agimus, ut loquitur Quintilianus, nostra primùm confirmanda sunt.* 2. Cùm *insigni* præjudicio occupatus est auditor, *ut metuamus ejus impatientiam, & discessionem ante confirmationem adductam.* Ita pro Milone Cicero præmittebat Confutationem, narrationi statim subjunctam, quia judices & auditores erant impatientes, apud quos ille & Milo magno præjudicio erant gravati.

Materia vel objecta Confutationis sunt 1. quæ non nimis evidētia. Nā quæ omnium opinione recepta, sensibus obvia, gra-

gravi autoritate firmata, & evidentia sunt; in hisce prudentis est non dijungere se ab aliorum opinionib9. In quibusdam etiam dissentire non potes absq; impietatis suspicione aut crimine. 2. quæ non per se impossibilia, quorum falsitas omnibus perspicua, ut sententia contra bonos mores, utilitatem communem, pietatem &c. In rebus enim manifestis homo prudens non multùm collocat operæ, aut fastidium parit auditorio, sed rem contemtu & risu excipit, prolixiùs in personam adversarii invehitur, ejusq; stoliditatis, improbitatis, impietatis magnitudinem: inprimis si absurda illa publica vulgi opinione faveantur, aut aliàs autorem habent publicè receptum; ut qud Terentius dixit: non esse flagitium, adolescentem scortari, & fores effringere. Sed. 3. quæ media sunt, & non perspicuæ falsitatis vel veritatis, sed cùm utrinque pro affirmativa juxta & negativa suppetunt rationes. Ut: Bellum gerendum est. Paci studendum est. Va-

rian-

riantibus enim circumstantiis ad veritatem vel falsitatem accedere possunt. Possunt & quædam esse media ob vulgi aut auditorum improbitatem, imperitiam, corruptum judicium &c. licet sint manifestè vera vel falsa.

Refutatio est duplex, *ut inculcat definitio:* Alia est oppositio argumentorum nostrorum contra sententiam adversarii, *cum confirmatione sæpè conjuncta:* Alia *est* solutio argumentorum ab adversario adductorum *prosua sententia confirmanda vel nostra destruenda. Vitiosè ergo per hanc ultimam solam partem vulgus Rhetorum refutationem definit.*

Prius refutationis genus communia habet præcepta cum cõfirmatione: & ex iisdem locis *falsa sententia infirmatur, ex quibus vera confirmatur, ut rectè Soarez lib. 2. cap. 25. Atq; de hac refutatione vera est regula Hermogenis lib. 3. cap. 3. quòd ea refutatio reservari ad extremum debet, quæ ad vincendum*

dum plus habet momenti) Contrarium enim de altera refutatione verum.) Crescere enim & ascendere oportet vim impetumq; hostilem in adversarium, non torpescere; sicut in chartis lusoriis ad extremum servantur, in quibus victoriæ momentum; ultima namque auditorem tenent & quasi capiunt. Rarius autem disputabit Orator in utramque partem, & cùm fit, faciet parcius & occultius quam Logicus.

Solutio argumentorum adversari, alterum genus est refutandi, cujus partes, quando plenissimam est (aliquando enim contractum sufficit, constans objectione tantum & responsione, ut respostulaverit) sunt 1. πρότασις sive κατάστασις, refutatio eorum, quæ præjudicium possent adferre è longinquo. Ut: Cicero pro Milone primum refutat ea, quæ in senatu sæpè ab improbis jactata erant. Ita est protasis Hermogeni. Aliis etiam πρότασις dicitur, præambulum illud objectionis adserendæ. Ut: sed dicat

dicat aliquis; Obgerat aliquis &c. 2. ὑποφορὰ, objectio adversarii, & rationes propinquæ causſam ipsam concernentes. 3. ἀντιπρότασις, quâ nos responsuros promittimus. Ut: aliquid videtur dicere adversarius; sed rem aliter se habere, ex iis, quæ dicturus sum, fiet manifestum. 4. λύσις ὑποφορᾶς seu λύσις; ipsa solutio argumentorum adversarii. 5. συμπέρασμα, vel conclusio refutationis, plerumque conjuncta cum apostrophe ad auditores.

Modus solvendi & respondendi generalis ita se habet.

1. Orator secum tacitè argumenta omnia solvat, vitiaque materiæ & formæ Logicè consideret: sed ad auditores non utatur logicis terminis hujus vel illius fallaciæ, reductione ad formam syllogisticam, sed circumscriptione & ornamentis ostendat fraudem.

2. Argumenta adversa resumantur ordine, qui commodior Oratori & opportunior: ita autè ut firmissima priùs salva-

solvamus, *debiliorum vero in fine facilis solutionis auscultatio auditori opinionem imprimat, reliqua omnia adversarii æque fuisse levia & soluta facilia, atque ita graviter magis adversarius sub finem, quo tenacius omnia in auditoris hærent animo.*

3. Attendendum, *quando una opera & ictu simul multæ rationes possunt everti: nec enim speciatim ad singula respondendum, quando vel leviora, vel cum eodem vitio peccantia uno impetu infringi possunt, ne tempus cum auditoris tædio perdatur: Item*: quādo *viceversâ* sigillatim singula labefactanda, & *vel* in uno aliquándo diutos laborandum; *si aliquid momenti cansse inde accessurum est.*

In specie solvuntur *Argumenta adversarii:*

1. Ambigua, distinctione; & obscura, expositione.

2. Falsa levia &c. negatione, rejectione, extenuatione, *ulteriorius probatio-*

tionis petitione, contemtu cum adjuncti acerbitate, & reprehensione, quod adversarius vel habuerit animum fallendi, vel contra conscientiam locutus, vel quod ipse secum in aliis assertionibus pugnet. &c.

3. Frivola, aliena, *non cohærentia & consequentia, itidem* rejectione & irrisione.

4. Communia, *vel commoda* explicatione, *vel* inversione & retorsione *in ipsum adversarium, quâ ipsum, si frequenter fiat, admodum gravabit.*

5. Magna & ponderosa, *ad quæ difficulter responderi potest, solventur 1. Solida* explicatione *& perspicuâ: præmissa confessione de acumine ejus argumenti & specie probabilitatis; ne videamur nimium contemsisse adversarium, minùs q. attentè ejus rationes examinasse: ita cogitabunt auditores: si ponderosa tam benè solvantur; reliqua facilius everti.*

2. Ἀντικατάλλαξις, compensatione argumenti contrarii, *respondendo per in-*

instantiam, æquè difficilem, quando 1. vel directa solutio latet; 2. vel ob ruditatem adversarium, quem quidem refutare possemus, eo tamen honore non dignamur; ut: Matth. 21. Christus Pharisæis quærentibus, quâ potestate ista faceret, regerit; dicam vobis ubi prius dixeritis mihi, utrum à cœlo an ab hominibus fuerit baptisma Johannis. vel 3. Cùm obscurũ nobis quid proponitur, quod non intelligimus. Ut apud Virg. Eclog. 3. Pastor alteri pastori proponenti ænigma, responsurus aliud proponit ænigma.

3. Digressione, *cùm neutro dictorum modorum respondere possumus, alienis rebus auditorem in oblivionem deducimus, & à proposito abducimus, vel præteritione, vel graviori argumento, vel similitudine, comparatione, delectatione, historiâ aliquâ jucundâ & admirabili, meriti alicujus relatione, interpretatione commodâ, excusatione, facetiis &c. Sed cautè hoc faciendum, nè quod Æschines Demostheni hoc facienti objecit, ut*

te

te quadret; quod videlicet non habeas, quod respondeas.

In gravibus argumentis sunt testimonia magnorum virorum, Præsertim mortuorum *aut saltim quorum apud auditores magna est autoritas. Talia si pro se citavit adversarius, non fastuosè rejicienda, nè contradictione magis irritemus auditoris animum, ejusque benevolentiam amittamus: Sed 1. in genere dicatur de humanorum testimoniorum infirmitate, veritate & dissensu. 2. Citentur contraria aliorum magnorum virorem testimonia. 3. dictum citatum ab adversario mitigetur, retorqueatur, conferatur cum antecedentibus & consequentibus, scopo, aliis ejusdem autoris locis. 4. Si male allegatur, crimen falsi ostendatur &c.*

Quando vel autoritas vel alia obstat caussa, ut expresse autorem aliquem nolimus refutare; objectiones ipsi nobis movemus quasi alias incidentes & solvimus; sed non nimis subtiles, nè adversarium instru-

instructiorem, nobis autem plus negotii facianus. Tacitè etiam relinquendæ obscuriores & latentiores, si vel ab adversariis non facilè concipi, vel auditorum mentes subire non posse videntur.

Usus refutationis *est eximius* Nam licet aliquando nullâ opus est nobis solâ confirmatione aut tractatione rei contentis; tamen viceversâ etiam sæpè rei veritas adeò plana est; ut confirmatio sit inutilis, utiliter autem Oratio in refutatione stropharum adversarii consumatur. Et certè difficilius est ictum avertere; quàm inferre, sanare vulnera, quàm vulnerare, ut loquitur Quintilianus. Sæpè interim compendii causâ, sufficit *in Oratione*, vel tantùm sententiam veram confirmare; vel tantùm adversarii sententiam refutare; vel tantùm ejusdem argumenta solvere, *quod prudentiæ Oratoris relinquendum circumstantias locorum, temporum, personarum &c. consideraturæ.*

CAP.

CAP. VIII. ET ULT. DE Peroratione.

PEroratio, est ultima Orationis pars, affectus movens vehementes. Dicitur aliàs conclusio (scilicet totius Orationis; nam alia est singularum partium & argumentorum) Græcè ἐπίλογος καὶ ἐκβολὴ τοῦ λόγου. Plus in hac quam exordio situm est: in ea enim vis & impetus Orationis apparet: Et omnia tunc bona sunt, clausula quando bona. Itim: laus in fine probatur. Cic. in Oratore de se fatetur, quòd præ reliquis omnibus in perorando palmam habuerit: neque quemquam fuisse, qui plus commiserationis moverit quàm ipse. Et scribunt plerisque Epilogis Ciceronis lacrimas populo Romano fuisse expressas.

Usus est 1. Memoriæ auditorum consulere, & præcipuos Orationis aculeos animo eorumdem infigere.

2. Affectus in animis auditorum vehementiores, themati consentaneos

pro materiæ diversitate relinquere, & vel in dignationē, odium & iracundiam ad sævitiam judicis contra improbos provocandum, in accusationibus, vituperationibus, dehortationibus &c. vel conquestionem & commiserationem ad misericordiam & benevolentiam movendam, in defensionibus; vel amorem, in laudibus & exhortationibus.

Quos usus & fines ut consequamur, bonæ perorationis virtutes, affectiones & conditiones hæ tenendæ.

1. Sit brevis, ne vel inflammatus judex aut auditor refrigescat, vel miseratione motus, alio se animo & cogitatione convertat.

2. Nervosa & acris, & voce pariter atq; argumentis excitata intensa, ut quasi aculeis quibusdam animos pungat.

3. Alacris, velut jam partâ victoriâ.

4. Enumeret & repetat breviter præcipue & fortissima argumenta; non omnia, sed summa quæq; confirmationis, ut totam summatim causam denuò in memo-

memoriam revocet auditor. Quæ repetitio interdum fit in aliqua parte confirmationis, sed frequentius in peroratione. Dicitur Græcè ἀνακεφαλαίωσις, recapitulatio, autori ad Herennium frequentatio, quia non nisi per summa capita decurrendum, & ἐπιλογισμὸς, nonnullis ἀνακαίνωσις τῶν κεφαλαίων, renovatio capitum seu principalium argumentorum. Et si fieri potest commodè, nervosum aliquod argumentum in tractatione non usurpatum, sed hucusque reservatum, pro extremo in auditorum animis relinquat, ex quo Orationem totam velit æstimari. Enumeratio autem nonnunquam laudatori, suasori non sæpè, accusatori sæpius quam reo est necessaria; figuris & sententiis varianda, ne odiosa sit.

5. Ad impellendum auditoris animum utatur vehementioribus affectibus, quæ πάθη appellantur, Quintil. affectus. Ut: amore, desiderio, aversatione, indignatione, misericordia &c.

Nonnunquaàm peroratio adhortatione, pollicitatione ſtudii, voto, eõprecatione & ſimilibus, *quæ affectus exprimunt & augent*, conſtat. In exordiis autem uſurpantur affectus leniores, ἤθη, *quæ carere nomine apud Latinos ait Quintilian. libro 6. cap. 2. appellari tamen mores, habentes ſignificationem officii, modeſtiæ, æquitatis &c. Hinc exordia Rhetores dicunt debere eſſe, ἠθικά, perorationes patheticas, aliàs verò tam πάθος, quàm ἦθος omnes affectus tam vehementiores, quàm leniores comprehendere & ſignificare poteſt. Hanc partem movendi affectûs quidam Rhetores Amplificationem vocant, ſcilicet per affectus; αὔξησιν παθητικὴν, itimδεινωσιν, id eſt, exaggerationem atq; gravitatem. Ubi* circa affectus duplicem ſcopum habet Orator. 1. Ut in auditore moveat affectum aliquem. 2. Ut ſuum affectum, quo præditus, auditori exprimat.

In movendo affectu. 1. non dices te

affe-

affectum illum movere velle, quem moves: artis enim est, occultare artem. 2. In affectibus præsertim vehementioribus movendis, lentè procedendum, ut videlicet non repente, sed paullatim eos excitemus. 3. Qui vult bonos affectûs movere, necesse est, ipse sit bonus: & qualem quisque affectum moturus est, tali Oratorem priùs commotum esse & imbutum oportet: ipsumque affici priùs, quàm afficere conetur. v. g. crudelis non movebit facilè alium ad misericordiam, nec mœstus ad lætitiam, nec lætus ad mœstitiam, nec frigidus aut lentus ad indignationem &c. Vide Agricolam. 2. de Invent. cap. 13. Unde Horatius:

——— Si vis me flere, dolendum est
Primùm ipsi tibi.

4. Habendus respectus ætatis & conditionis. Neque enim adolescens, homo abjectus, &c. idoneus est ad eos movendos affectûs, ad quos senex, vel vir magnæ autoritatis: Sic etiam viceversâ non qualibet persona est ad quemlibet

bet affectum recipiendum apta, uti non quævis materia apta adincendium.

Peroratio vel est successiva vel abrupta. Illa vulgata est. Hæc in Orationibus mandatoriis, senatoriis &c. *adhibita affectum & autoritatem Orationis auget; estque* cùm ex improviso dicere desinimus. *Ut in Orat. Mauritii Brefsii ad Clementem Octavum Pontificem, pro Henrico Quarto Rege Galliarum, Anno 1597. Tua igitur beatitas tam pium Regem arctissimè complectatur &c. Sin autem propendere & inclinavi in lancem alteram libra cæperit. Sed præstat festo fausto, die faustam Orationem ominatione fausta concludere. Sic solenne est Virgilio in pleno affectibus sermone versum abrumpere, ut lector quasi in medio cursu desertus, ipse quoq; rem memorabilem altiùs animo imprimat, & velut interquiescat ad pleniorem considerationem, quod carmini singularem conciliat majestatem.*

PARS

PARS SPECIALIS SEU PROPRIA

De Inventione Oratoriâ.

PArs specialis *hæc* dicitur, quia *1.* Materiam pertractat *Orationum, ejusq; Inventionem ex locis variis, modò generaliter, modò specialiter in variis causarum generibus seu argumentis. 2* Speciatim *in variis Orationibus* modum ostendit procedendi.

CAP. I. DE INVENTIONE in Genere.

INventio *est altera Oratoriæ pars, docens argumenta ex locis suis eruere, ad explicandum, confirmandum & ampliandum.*

Efficiens *vel Inveniens* est Orator, qui Logicâ præsupponit *absolutè naturam & regulas argumentorũ tractantem.*

Orator autem licet iisdem utatur instrumentis, quibus Logicus: ostendit tamen præcepta, per quæ ad diversum finem & objectum, videlicet ad voluntatem movendam &c, argumenta applicentur. Ita enim etiam in mechanicis eadem instrumenta ad diversam materiam diversis ab artificibus adhibentur; ut malleus, dolabra, serra &c. sic pingere norunt pictor, cælator, aurifaber, vitrarius: sed in objectis diversis: & varii sunt artifices. Sic argumenta in Logica & Rhetorica applicantur ad objecta diversa; in illa ad intellectum; in hac ad voluntatem & affectum, quomodo motum eorum animis, quibus persuadere volet, adferat: eos que vel ad iram, aut odium, dolorem &c. incitet, vel ab hisce permotionibus ad lenitatem revocet. Hinc multi bene explicare & probare possunt Logicè; sed non ideò statim Rhetoricè: neque logica ut Rhetorica amplificat, quia amplificatio non facit ad mentem erudiendam, sed ad affectus per istam dilata-

tio-

tionem commovendos. Idem intellige de dispositione &c. quæ non est eadem cum dispositione Logica; hæc enim non curat exordium, perorationem &c.

Finis est explicare, probare & amplificare, *quæ tria officia beneficio eorundem locorum expediuntur. Ex iisdem enim* locis *explicamus, probamus & amplificamus.*

Materia, ex qua desumuntur *ea, quæ invenienda sunt* argumenta, *vel unde medium Oratorium depromitur*, sunt Loci omnes, *qui distingui possunt ut in* Logicis, & dicuntur communes. Sed delectus *Oratori* habendus, ut adhibeantur argumenta maximè accommodata personis, loco, tempori, rei &c. *ex omnibus, quæ tacitè anteà tecum & Logicè in mente pertractasti. Sic & pro caussæ, de qua disceptatur, qualitate Orator modò hæc, modo illa adhibet: Unde Rhetores peculiaria genera caussarum excogitarunt, & singulis peculiares argumentorum locos assignarunt, ut*

infra docebitur, qui dicuntur loci proprii. Sunt præterea loci communes, qui in omnibus promiscuè causarum generibus usurpari possunt, quos Aristoteles in Rhetor. recenset 1. Justum. 2. legitimum. 3. honestum. 4. utile. 5. facile. 6. possibile 7. necessarium. Apthonius sex. 1. Perspicuum, quà res vel verba. 2. Verisimile. 3. Possibile. 4. Consequens. 5. Decorum. 6. utile. Quibus contrarii respondent Loci confutationis. 1. obscurum: in rebus vel verbis non satis explicatum, minùs intelligibile. 2. Non verisimile, vel absurdum & paradoxon. 3. Impossibile, cujus contrarium necessariò est verum. 4. Inconsequens vel non cohærens, quando circumstantiæ facto non sunt convenientes. 5. Indecorum, turpe & inhonestum, à vitio quodam profectum. 6. Inutile.

Quamvis & tales loci in alio atq; alio genere commodiùs adhibentur & rectiùs. Hinc Valerius in tab. Rhetor. Inquit pag. 23. Duplex est locorum tractatio:

tio : Una generalis & communis, quæ ad nullum cauſſæ genꝰ reſpicit, quæ propria dialecticorum eſt. Altera ſpecialis, qua loci quidam ad unumquodꝙ genus à Rhetoribus accommodãtur. Sunt enim certa quædam in ſingulis cauſſarum generibus præcepta confirmationis tradita, velut in demonſtrationibus tria bonorum &c. in deliberationibus honeſtum, utile &c. In judiciis ad conjecturam confirmandam, voluntas, facultas &c. In definitivo ſtatu loci definiendi, in qualitate partes juris &c. ex quibus refutandi quoꝙ ratio petenda eſt. Hæc ille.

Inter locos Dialecticos, præ aliis utiliores ſunt Rhetori 1. Locus notationis; nam nomina cùm ſint ſigna rerum apud auditores plebeios, multum ponderis habent. 2. Speciei & Individui; & hujus inprimis, quo pertinent exempla, quæ vim habent magnam apud auditores; ſed ſint perſpicua, & perſonis, loco, tempori accommoda-

modata. 3. Efficientis, *præsertim impulsivæ & instrumentalis*, finalis *1* effectorum & *accidentium* propriorum. *4.* Objecti, antecedentium & consequentium, concomitantium & circumstantiarum. *5.* Similium, *prius tamen causa vel quæstione aliis argumentis firmius munit à. Sitque similitudo 1. aptæ rei & auditori. 2. Perspicua & obvia auditori, non ex rebus abstrusioribus & subtilioribus. 6.* Majorum, minorum, oppositorum & pugnantium. *7.* Testimonii *inartificialis loci.* Testimonium *autē citatur 1.* Divinum, *quod quia irrefutabile, strenuè ab Oratore urgendum .2.* Conscientiæ, *ad quam provocabit, Orator & immorabitur prolixius, cum scit auditorem conscium esse. 3.* Sensuum *exteriorum; quod magnifaciandum 4.* Propriæ confessionis, *juratorum testium, judicatorum, pactorum, transactorum &c. 5.* Sententiarum *vel* generalium *ut sunt proverbia, dicteria,*

pul-

pulcra gnome incerti autoris &c. vel *specialium, ut sunt sententiæ certorum autorum, à pleriique approbatorum &c. aut saltem ab iis contra quos citamus, qualium farago ingens est pro junioribus in Polyanthea Langii.* Citentur *autem* sententiæ, *proverbia &c. vel horum loco fabulæ, apologi, parabolæ &c.*

1. Parce, *ne nimium alienis te plumis ornes.*

2. Breviores: *nam longæ & dissolutæ tædium adferunt.*

4. Vetustæ, *graves, efficaces & argutæ: ut sunt: apopthegma heroum & philosophorum: symbola magnatum & clarorum virorum, Emblemata orguta & voces vel sub extremum halitum emissæ, vel in testamento relictæ &c.*

4. *Sæpius cum præmissione laudis tum autoris, tum ipsius sententiæ. Locus autem textus, capitis, partis, tituli, sectionis, libri &c. margini infigatur, nec Oratio-*

tionis contextum dedecoret, quod minimè Oratorium.

Materia circa quam vel objectum, sunt *ipsa* argumenta, *quæ ex locis invenienda sunt & eruenda*. Horum conditiones & requisita sunt, *ut sint* 1. Non aliena sed directa ad scopum totius Orationis, præcipuum aliquem affectum movendum &c. 2. Non nimis obvia, *vulgata & protrita*, sed rariora, ardua, paucis nota, admirabilia &c. at ἰδ interim non obscura. Talia argumenta etiam in vulgatis & contemtis thematibus haberi possunt; & tùm eô plus excitabunt admirationis. Hinc Cicero, Eloquentiam, inquit, ego nullam existimo, quæ admirationem non habeat. 3. accommodat loco, tempori, auditorũ captui, *non aliena à sua persona &c.* 4. Involuta ornamentis Rhetoricis, *nè terminos artis in inventione nominemus, sed artem occultemus.* 5. Probabilia *quæ sunt, ornamentis & amplificationibus vestiantur; necessaria magis nudè proponi possunt.* Quæ autem sint neces-

necessaria vel probabilia, tacitè secum Orator discernet, non tamen indicato auditoribus discrimine.

Forma vel modus inveniendi medios terminos Oratorios seu argumenta, ex locis talis est, & facilis.

1. Propositæ quæstionis vel conclusionis considera subjectum & prædicatum, quæq; & qualis inter illas partes sit habitudo, expende, an caussæ & effectus, antecedentis & consequentis &c.

2. Subjectum primò, deinde etiam prædicatum deduc per omnes inventionis locos Dialecticos, quæ nimirum illorum sint, vox, genus, relatio, definitio, descriptio, caussæ, effecta, accidentia, distributio, membra, species, objecta, antecedentia, consequentia, connexa, paria, imparia, majora, minora, similia & cognata, dissimilia, opposita, pugnantia &c. & de esse tibi non poterunt argumenta, quibus propositum vel probes vel refutes.

3. Syncategoremata si quæ vel subjecti vel prædicati: eodem ordine in investigatione eorundem procedatur. CAP.

CAP. II.

DE GENERIBUS causſarum in genere.

HACtenus de inventione in genere. Sequitur ſpecialior inventionis tractatio in quatuor cauſſarum generibus; ubi ſingula ſuos locos proprios ſibi vendicant, unde argumenta inveniuntur; ubi materiæ diverſitas in cauſſa eſt. Materia enim pertractanda vel eſt docenda ſimpliciter, ut in genere didaſcalico; vel laudanda aut vituperanda, ut in demonſtrativo; vel ſuadenda aut diſſuadenda, ut in deliberativo; vel accuſanda aut defendenda, ut in Judiciali genere. Ad hæc tamquàm ſumma genera reliqua ſpecialiora revocare utile cenſuére, ad tria quidem antiquiſimi & optimi Rhetores, ad quatuor recentiores plerique; nè nimiâ multitudine recapitulationis experte obruerentur juniorum ingenia: quod fieret, ſi recentiores nonnullos imitari animus eſſet, qui ſpretâ abjectâque hac cauſſarum generum diſtinctio-

ctione & doctrina aliam methodum excogitarunt, secundùm themata simplicia & conjuncta cum subdivisionibus, sicut themata in parte communi c. 5. dispescuimus. Nec inficiamur accuratiùs & subtiliùs tum hac tum aliis viis specialem Oratoriam posse deduci: Sed cùm ἀκρίβεια illa philosophia & exacta minus Rhetoribus omnibus curæ fuerit, atque etiam qui aliam methodum sequuti sunt, hanc ob causam multa intricatè, obscurè & tautologicè dixerint, unumq; & idem multis in locis ingeminaverint; ah antiquorum Rhetorum omnium potissimorum Rhetorum omnium potissimorum & plerorumque neotericorum vestigiis penitùs abire, inconsultum duximus, illa tamen quæ illi in specialioribus plurimis iisque necessariis omisere, minimè omissuri: & pleraque nostris moribus ac temporibus accommodata enucleaturi.

Genera autem causarum cum nominamus, per causas intelligimus quæstiones, propositiones, statûs, negotia vel themata

mata ad certam materiam restricta, de quibus Oratori dicendum. Hinc definiuntur

Genera caussarum, certæ classes & ordines, ad quos quæstiones singulæ, de quibus dicendum, revocantur; & ex quibus convenientes argumentorum loci, quibus istæ legitimè tractentur, desumi possunt. Proderit autem cognitio artium, in quibus res tractandæ continentur. quomodo enim de rebus Medicis perorabis, scientiæ hujus planè ignarus?

Sunt ἃ quatuor. 1. Doctrinale, διδασκαλικὸν vel διδακτικὸν.

2. Demonstrativum, ἐπιδεικτικὸν.

3. Deliberativum vel consultatorium: συμβουλευτικὸν.

4. Judiciale, δικανικὸν.

Rhetores olim unanimiter tria tantùm caussarum genera constituerunt, omisso didascalico, ad quæ caussas omnes revocarunt. Quorum generum differentiam Philosophus 1. Rhetor. cap. 13.

à di-

à diversis auditorum generibus sumtam arbitratur. Quorum alii sint auditores, qui solùm audiendi gratiâ adsunt; Unde genus Demonstrativum: Alii senatores, qui cognitâ oratione de futuris deliberant; Unde Deliberativum: Alii Judices, qui de præteritis statuunt; Unde Iudiciale. Idem autor c. 3. differentiam ex finibus inculcat; ut Demonstrativum habeat finem, honestum rei præsentis: Deliberativum utilitatem rei futuræ: Iudiciale æquitatem rei præteritæ. Item ex obiecto, videlicet laude vel vituperio, suasione vel dissuasione, accusatione vel defensione. Et lib. 3. Rhetor. cap. 12. ex dicendi formis & generibus. Vt in Demonstratione sit dictio graphica, exquisita & elaborata; Post hanc proximum locum teneat judiciale genus; tandē Deliberativum. Didascalicum veteribo ignotum, etiam recentioribus multis supervacaneum judicatur, Et certè uti argumento hoc possent, quòd Rhetoricæ finis sit non solùm docere, sed etiam cor & affectū ad aliquid agen-

agendum movere & impellere: quod posterius in dictascalico genere non fit. R. neq; semper in reliquis omnibus. Interim à potiori fieri potest denominatio. At ejus usus eximius est in scholis, Ecclesiis, & ubicunq; aliquid docendum, non quidem nudè & concisè, cum Logico; sed copiosè, ornatè & eleganter, quod Rhetorici proprium; neq; enim nostro sæculo, ut olim, ad solum forum alliganda Oratoria. Valerius ad Demonstrativum refert, hocq; nominatum vult ex eo, quod quale sit, aliquid demonstret, vel laudando, vel vituperando, vel narrando, vel docendo.

Observandum *autem, momentibus Valerio in tab. Rhetor. pag. 25. & Sibero Rhetor. cap. 22.* Licet principalis scopi ratione unum thema ad certum unum genus causæ referatur, sæpè tamen in una Oratione ex uno in aliud fieri transitum: *immò vix unam Ciceronis aliorumque reperiri Orationem, in qua non tria illa causarum genera aliquâ ex parte eluceant.* Aliud enim ex

locis

locis alterius libenter aliquid mutuatur: *Cùm, quibus rationibus facienda suademus, iisdem facta laudare possimus: quæque laudandi ac vituperandi vim habent, eadem ad suadendum & dissuadendum militent, & sic de reliquis. Sic plurimæ Orationes videntur mixtæ, ita ut in una parte aliquid suadendum, in altera aliquid laudandum, in alia aliquid accusandum &c. & modò hic, modò ille affectus movendus. Qui autem novit simplicia, facili negotio ex iis mixta intelliget. Sed finalis scopus, ut diximus, in mixtis existimatis respiciendus, & Orationis exitus, unde tota denominanda Oratio. Ut, Oratio pro lege Manilia, deliberativa est, an Pompeius ad bellum Mithridaticum Imperator sit eligendus. Licet autem multis modis Pompejus in ea laudetur, tamen cùm hoc non per se adhibeatur, sed tamquam assumitium quid ad superiorem finem principalem contendat; non dicitur esse Oratio in genere demonstrativo, sed Deliberativo.*

Ad

Ad Demonstrativum, cujus formæ generales sunt laus & vituperium, referuntur specialiùs variorum Entium laudationes, gratulationes, gratiarum actiones, salutationes, exceptiones, valedictiones, dedicationes, adeoq; dicta vel scripta natalitia, Epithalamia, panegyrica, epicedia & parentationes, expositiones historicæ, beneficiorum cõmemorationes, satyræ & Philippicæ, descriptiones quarumcunque rerum ad laudandum vel vituperandum instituræ &c.

Ad Deliberativum, quod generaliter *& præcipuè* deliberationes & consilia, suasiones ac dissuasiones continet, referunt: adhortationes & dehortationes & recõciliationes, lamẽtationes & consolationes, potitiones & precationes, & quæcunque ancipitem habent cogitandi ac statuendi rationem, *ideoq; in utramq; partem agitari possunt: Ut si quæratur, sitne aliquid*

quid faciendum vel non faciendum, & cur: idque hoc potissimùm tempore, loco, modo, fine &c. Sic in adhortationibus & dehortationibus, dubium est an hortationem tuam sequuturus sit is quem hortaris. Sic in commendationibus, conciliationibus & reconciliationibus, dubitat & deliberat secum, an tuam commendationem sequi velit: lamentans dubitat sæpè & deliberat an consolationes velit admittere; petens & precans dubitat an voti compos fiat, & itidem rogatus quid ad responsionem respondere velit, priusquàm respondeat.

Judiciali subjiciuntur: Accusationes, defensiones, excusationes, deprecationes, reprehensiones, objurgationes, expostulationes, graves admonitiones, querelæ, exprobrationes, comminationes, exsecrationes &c.

Quamquàm autem minùs exactè multa reducantur ad unum generale quasi caput

vg.

v.g. *Petitio & Consolatio ad suasionem, cum qua tamen exiguus videtur nexus; tamen nonnullus est, & memoriæ juvenilis juvandæ causa, reductiones hasce ex Rhetorum ferè unanimi scholâ non nimiæ novitatis avidi servavimus.*

Ad Didascalicum referuntur 1. textus *cujuscunque* explicatio. 2. Responsio ad alterius *danda* sermonem, *cui tamquam ad textum alligata est.* 3. *thema vel* quæstio quæcunque docenda, & explicanda, *nec in aliis generibus locum inveniens.*

Dictio in generibus Didascalico & Demonstrativo est liberior, in deliberativo gravis & prudens: in judiciali vehemens & concitata.

Qui Psalmi Davidici aliaque scripta sacra ad quod genus causarum referri possint, videatur Chytræus in Rhetoricis. Ad genus demonstrativum pertinent, Orationes Ciceronis gratiarum actoriæ, ut pro Marcello, in qua gratias agit Cæsari, quòd Marcellum in pristinam dignitatem

latem restituerit; Orationes post reditum habitæ ab exilio, ad senatum & Quirites. In Catilinam III. Cum cõjurati comprehensi essent. Ad deliberativum: Oratio pro lege Manilia, quâ suadet Pompejum eligendum Imperatorem ad bellum Mithridaticum; Oratio de provinciis consularibo, quâ suadet senatui, ut Gabinio & Pisoni adimant provincias, quas sibi delegerant; De lege Agraria contra Rullum, ubi artificiosa dissuasio; Prima in Catilinam, quâ suadet, ut egrediatur ex urbe: Item quarta. Ad judicialis statum Conjecturalem: pro S. Roscio Amerino, ubi disputatur, an Roscius sit parricida; Pro Q. Roscio Comœdo. Roscius Fannio nihil debet; Multæ in Verrem, in quibus contenditur Verrem esse furem; Pro Fonteio; non esse Gallorũ querelis credendum, quòd sub Fontii prætura Gallia sit ære alieno oppressa; Pro Cluentio, an veneno vitricum suum sustulerit; Pro Rabirio, an interfecerit Saturnium; Pro Dejotaro,

an insidiatus fuerit vitæ Cæsaris; pro Cælio, an venenum Clodiæ pararit; in Vatinium, quòd non sit ejus testimonio credendum. Pro Sylla, an fuerint conjuratus Catilinæ &c. Ad legalem seu scripti & sententiæ, Oratio pro Cecinna. De aruspicum responsis. Ad finitivum, Oratio pro Muræna, pro Plancio. Ad juridicialem, pro domo sua, quòd jure reddatur: pro Milone, an jure interfecerit Clodium; pro Lucio Cornelio Balbo; An licuerit Pompejo donare Balbum Gadianum jure civitatis; Deprecatio pro Ligario.

CAP. III. DE GENERE DEmonstrativo in genere.

GEnus Demonstrativum est, quod in laudando vel vituperando versatur. Græcè ἐπιδεικτικὸν; Leontino, quòd Orator in eo divitias & opes ostentet: aliis, quia ostendit & demonstrat qualis sit

sit res. Dicitur itim πανηγυρικὸν, ἐγκωμιαστικὸν, laudativum, nempe bonorum; & ψεκτικὸν, vituperativum, videlicet malorum.

Objectũ quod laudatur vel vituperatur, vel est persona, vel factum aliquod personę, vel res aliqua *alia, ut pietas, eloquẽtia, urbs, regio, arx &c. ut infra in specie.*

Loci proprii *unde præcipua argumenta deducũtur*, sunt *potißimùm* Honestum & Turpe. *Specialiores loci in specialioribus ostenduntur. Locus autem ab honesto vel turpi in laudatione vel vituperatione v. g. personæ deducitur per alios speciales, ut è patria, parentibus, natura, ingenio, educatione, doctrinâ, ætate, moribus, animi, corporis & fortunæ dotibꝰ, rebus gestis, harum præmiis, morte & vitæ exitu &c.*

Laudatio (ut vituperatio) 1. vel est absoluta vel cõparata. In *laudatione* absoluta argumenta *inventionis* sunt *præsertim* ex causis, proprietatib. &

effectis, *sed* eligantur *rariora & illustriora: Nam quæ aliis multis communia sunt, exiguum amorem aut admirationem excitant: ideoq; aut adumbranda tantùm aut reticēda.* Res *porrò* laudanda si auditori ignotior *est*, præmittatur *brevis* ejus explicatio: *sin nota, statim explicetur & describatur. Laudatio enim est quasi descriptio cum quodam affectu.* In amplificatione *dominētur* argumenta ex artificialibꝰ. præcipuè ab exēplis & oppositis. Ex inartificialibus testimonia DEI vel magnorum hominum. *In vituperationibus indidem petantur argmenta & explicantia & amplificantia. Sed abruptior contractiorque hîc sit dispositio, in exordiis juxta & perorationibus. Exordia sunt valdè libera (ut Isocrates in encomio Helenæ, orditur à reprehensione sophistarum, quibus cum Helenæ nihil cōmune) ducique possunt, ex laude & vituperatione generatim, ex persona auditorum &c. ita tamen ut tandem con-*

connectantur cum præsenti orationis corpore. Exornatio & actio sint in vituperiis, sicut in contemtu & odio excitando, ut infra dicetur.

Comparata *laudatio*, est cum duæ res *simul laudãtur; &* vel æquiparantur, vel una alteri præfertur. *Cõparationes autem inter personas, cùm sint odiosæ, cautè instituantur, & inter mortuos potiùs quam vivos.* Argumenta sint ut in absoluta, & conferantur causſæ cum causſis, proprietates cũ proprietatibus *&c. Exornatio autem & actio, in eo quod præfertur, sint illustriores. Sufficit autem præcipua cum præcipuis conferre, non singula, etiam minutißima cum singulis. Ex hac laudationis naturâ intelligitur, qualiter in vituperatione instituenda comparatio.* Vituperatio vehementior dicitur detestatio, & abominatio, *ad movendũ magnum rei odium, per argumenta, ut supra, additâ ad exaggerandum cõparatione, exemplis & oppositis.*

II. Laudatio est vel popularis vel solennis. Illa fit coram paucioribus modo minùs solēni, aut de objecto vulgariori. Solennis est, quæ fit de objecto non nisi excellenti, cōsessu & modo solēni in cætu aliquo magno; Unde Panegyrica dicitur: *à πᾶν, omne, & ἀγείρω, congregare.*

Finis *ergo* generis demonstrativi, est laus vel vituperiū. *Quem finem ut Orator cōsequatur, inter alia* officia *ex primariis fuerit*, peculiares *quosdam* affectūs movere ut in laudationib. amore & veneration*em*, æmulatione &c. In vituperiis, cētemtum, indignationem, odium, iram &c. In gratulationibus, gaudium & lætitiam. in epicediis tristitiam.

Amor. veneratio, æstimatio *& c. personæ vel rei concitantur 1. si argumenta ducantur ab efficientibus, effectis & proprietatibus. 2. Amplificantia ex comparatis, exemplis & oppositis. 3. Exornatio & actio in motu animi blāda sit, inve-*

nera-

nerationis & admirationis concitatione, vox sit gravis, alacris & magnifica; Dictio quoq; magnifica, illustribus metaphoris, hyperbolis subinde latentibus, crebris aversionibus, communicationibus & suspensionibus decorata. Exemplum amoris motus est pro Murena.

Aversatio, contemtus, ira & odiū rei moventur argumentis generis, efficientium, propriorum accidētium vilium, effectorū inutilium, turpium & damnosorum oppositi boni amplectendi.

Personæ, argumentis antecedentiū, qualiter persona se gesserit, causſæ impellentis, objectorum, proprietatum & accidentium, effectuum turpium &c. Consequentium, ut eventuum &c. Ex his plerag; specialiter & fusè diducta videbis apud Aristotelem lib. 2. Rhetor.

Amplificatio desumitur ex cognatis, exemplis, cōparatis, (ut nempe alia præferamus) oppositis, ostendendo ea, quæ, utiliora & digniora. Contemtus & iræ exemplū est in oratione tota ad Pisonem & 5 Verina.

Exornatio contineat propos asperiores, ad rei turpitudinem depingendam, figuras vehementiores, ironias crebras, mimeses, prosopopœias, antitheses, Mioses & extenuationes.

Vox vehemens sit, acuta, fastidiosè formata, severa, gestus acriores ad quãdam rejectionem compositi, ut vultu & oculis affectûs, quos movere studemus, præ nobis feramus.

νέμεσις vel indignatio seu dolor ob indignorum successus felices, (de quo Aristoteles. 2. Rhetor. 9.) cujus usus rarior, movetur argumentis objecti, ejusq; proprietatibus: amplificatio, ut suprà odii & iræ, maximè petamus ab oppositis, videlicet probis, qui improborum successu premuntur. Exornatio & actio, ut supra in ira & odio. Indignationis exempla apud Ciceronem plurima sunt in Verrinis, Philippicis, Catilinariis &c.

Æmulatio vel dolor ob successûs & honores alterius (non quidem indigni; sed quod nobis quoque eadem contingere veli-

velimus) movetur ab objecto ejusq; successibus & felicibus, & subjecto, in quo æmulatio cienda; cujus subjecti indignitas ostendenda, & facultas nostra ad eosdem honores assequendos. Amplificatio ut supra. Exornatio constet verbis & metaphoris illustribus, interrogationibus & communicationibus. Vox sic excitata, animatura auditorem ad æmulandum. Exemplum apud Cic. est in Philip. 2.

Mortus lætitiæ ac gaudii *in auditore conciliatur* 1. *ab opposita prægressa tristitia.* 2. *rei, ob quam gaudendum, proprietatibus, effectis, & consequentibus. Amplificatio potissimum ducitur ab oppositis, similibus & exemplis. Est & particularis lætitiæ motus, jocus Oratorius, sed non adhibendus* 1. *in rebus gravibus & magnis.* 2. *calamitatibus & miseriis magnis.* 3. *flagitio & improbitate exaggeranda.* 4. *nec in personas vel publicas, ut magistratum; vel miserabiles; vel integras nationes & ordi-*

nes hominum. s. non sæpè nimis, intempestivè, aut coactè. Nam non cujusvis est aptè jocari, sed peculiaris ingenii acuminis. Sed sint joci seu sales elegantes, ingenioſi, urbani, faceti, citra acerbitatem aut aliorum injuriam, non illiberales, ruſticani, ſcurriles, petulantes, obſcœni, flagitioſi. Stobæus bene: vita ſine feſtivitatibus, via eſt ſine diverſorio. Quamobrem Cæſar adeò facetus fuit, ut Cicero primas ei partes tribuerit. Et narrat de Cicerone Quintilianus, eum adeò jocis delectatum, ut de iis integri facti ſint libri. Ad regendum verò & ſedandum riſum deditâ operâ recreandi gratiâ excitatū maximè faciet ſubita gratæ alicujus, novæ, vel admirabilis rei mentio, vultus ad gravitatem compoſitus &c.

Triſtitia movetur: ob perſonas publicas, ex publicis malis, præſentibus vel imminentibus; & proprietatibus, effectisque noxiis. Ob alias ex iiſdem malis, ſed particularibus. Ampliſicatio ſit à com-

comparatione, exemplis, consequentibus: effectis &c.

CAP. IV. DE LAUDATIONIBUS IN SPECIE.

I. Laudatio Dei vel hymnus.

Argumenta infinita sunt laudis divinæ. Ideo in exordio rei difficultas exponenda & in confirmatione ea tantùm laudis divinæ argumenta depromenda, quæ præsenti loco & tempori potissimùm accommodata. Peroratio ex adhortatione ad pietatem & virtutem desumi poterit.

II. Laudatio Angelorum.

Exordium hic itidem à rerum incorporearum natura difficili, dignitate & præstantia capi potest. Postea à proprietatibus & effectis boni Angeli laudantur; eo usq3, nè, quæ Dei propria iis tribuantur, aut idololatrici cultus & honoris divini affectus in auditorum animis commoveantur.

III. Ho-

III. Hominum. Vulgo laus personarum.

In laudatione (& in vituperatione) Personarum argumenta ad ornandum potius & amplificandum, quàm ad probandum sumuntur.

I. A causis ut. 1 natione vel patria, ubi considerantur etiam circumstantiæ nativitatis; tempus, locus, regio, provincia, urbs &c. Itim antecedentia & concomitantia nativitatem, si quæ memorabilia, ut prodigia, miracula &c. sicut in Johan. Baptista &c. 2. parentibus, avis, majoribus, familia, affinitate &c. quæ omnia si præclara, nobilitati respondisse dicemus; Sin humilia, nobilitasse & illustrasse asseremus. 3. Natura seu ingenio & indole. 4. Educatione & disciplina, quò referentur præceptores, commilitones, æquales &c.

II. *Accidentibus, vel 3. bonorum generibus 1. Animi ut sunt virtutes vel intellectuales vel practicæ; Ethicæ, Oeconomicæ vel Politicæ, ars militaris, vel si omnes*

si omnes adsint. Et virtutum singularum sua exprimenda exempla & actiones. Nec laudandum tantùm quòd iis sit ornatus, sed & quod summis studiis, laboribus, vigiliis &c. comparaverit. Sin junior: inclinationes vel indicia virtutum insinuanda, ingenii celeritas, memoria &c. In sexu fœmineo laudatio fit ex virtutibus hujus sexus: vel communibus; ut sunt pudicitia, castitas, modestia, pietas, probitas &c: vel Oeconomicis; ut sunt custodia domus, peritia rei familiaris, amor mariti, prudentia in educatione liberorum: vel peculiaribus, accedentibus ad virilem perfectionem; ut heroico impetu, patientia, magnanimitate, taciturnitate, prudentia virili, peritia lingvarum, scientiarum &c. 2. Corporis ut sunt forma, statura, temperamentum, membrorū proportio, physiognomia, valetudo, vires, sexus, ætas &c. Quæ per se non laudantur, uti nec externa, sed si cum virtute conjuncta. Si persona habuerit; laudanda,

danda, quod bene ejus usa sit, si caruerit: quod sapienter caruerit: sin amiserit: quod moderatè tulerit, At ἄλλα & aliter dicenda de viris, fœminis, viduis, juvenibus, senibus, pueris &c. 2. Externis, vel fortunæ, ut sunt, opes propinqui, amici, gratia, potentia, vitæ genus, officii dignitas &c. Alia enim laus est imperatoris vel ducis bellici, ut ex celsitudine animi, fortitudine bellica, rei militaris scientia, sapientia, justicia &c. Alia Doctoris, v. g. Theologi; quem commendant studium pietatis, precum & vitæ inculpatæ, docendi dexteritas & fidelitas, veritatis amor, Mundi & calumniatorum contemtus, Zelus verbum DEI propagandi, constantia in confessione &c. Sic commendatur juvenis ab obedientia erga majores, industria in studiis, exercitiis, temperantia, castitate, modestia &c. In sene extolluntur consilia, pietas, autoritas &c.

III. Ab effectis seu rebus gestis, di-

dis,

dis, factis, cogitatis, in quavis ætate, consiliis, scriptis &c.

IV. *A consequentibus: eventu & præmiis rerum gestarum, ubi notandum in felicibus eventibus clementiam DEI agnoscendam: eos autem non esse in nostra potestate: nec omnem laudem detrahendam iis, qui in præclaris factis infelicem sortiuntur exitum, unde proverbium: Optimè cogitata sæpè pessimè cedunt. Et Poeta:*

careat successibus opto,
Quisquis ab eventu facta notanda putat.

V. *A cognatis: ut sunt fratres, sorores, uxor, liberi, nepotes, amici &c.*

VI. *At privantibus & pugnantibus: ut inimicis, invidis, morbis, morte; quæ antecedentibus, connexis & consequentibus declaranda 1. circumstantiis temporis & loci.*

2. *caus.*

2. causis morbi & mortis, naturalibus & violentis &c. Mors si sine cæde & sanguine; placida: sin minùs; honestior: modò pro Christo & religione, pro patria &c 3. Antecedentibus, si quæ signa vel prodigia mortem præcesserunt. 4. Concomitantibus; quid egerint vel dixerint in agone &c. 5. Consequentibus: vel consuetis; ut sunt exsequiæ, sepultura, pompa funebris, monumenta, fama, honor, existimatio, statuæ, trophæa &c. vel minùs consuetis; ut sunt casus & eventus, qui magnarum personarum interitûs sequuntur. Qui in personarum laudibus, rerum seriem, ac ordinem sicut in historia sequutus fuerit, nō deliquerit. Ex hisce præcipui & ad institutum accommodatiores eligendi: neque enim necessarium, ut scrupulosè & superstitiosè omnes excutiantur loci; imprimis si quem celebrem & in omnium fama positum virum laudare velis; ne pluribus narres res gestas quàm commen-

mendes, ut quæ in omnium oculis sunt posita.

Exordium liberum est, nam & à re remota duci solet, ut a querela, gratulatione, die, loco, à rei cujuspiam ad rem facientis definitione, partitione &c. significatione lætitiæ, doloris, lamentatione, gratulatione, affectu aliquo, circumstantiis &c. Confirmatione & confutatione quandoq; utendum; si quid incidat, quod disputationem & dubitationem aliquam habeat. Amplificatio adhibenda præcipuorum casuum, eventuũ, factorum, præclare gestorum, quæ ad admirationem, imitationem & memoriam evehenda.

In peroratione breviter auditores ad gratulationem imitationemq; sunt excitandi.

In vituperio omnia sunt contraria.

Laudatio Brutorum.

Laudantur 1. à genere animantium 2. à subjectio vel loco habitationis. 3. ab utilitate, proprietatibus, naturæ dotibus & ef-

& effectis. qui locus laudationi potissimum inservit. 4. vitæ & mortis genere.

Plantarum, ut arborum, fruticum, herbarum &c.

1. Anomine ejusq; notatione. 2. à forma & specie. 3. à subjecto & loco. 4. à tempore ortus, floreſcentiæ &c. 5. à temperamento, usu, proprietatibus, effectis &c. Qui quintus locus principalis est & ad laudationem maximè accommodatus.

Metallicorum, ut gemmarum, metallorum &c.

Ex iisdem, demto quarto.

Fluminum & fontium.

1. Ab ortu. 2. amplitudine & scaturigine copios à. 3. qualitatibus & proprietatibus, ut salubritate & colore &c. 4. cursu & lapsu. 5. & locis quæ alluūt, interlabuntur &c. ut sunt, insulæ, civitates, nemora & pascua &c. 6. à piscium copia, varietate &c. 7. ab aliis contentis: ut metallis, lapidibus &c. 6. ab aliis aquis, quas recipiunt. 9. à navium frequentia aliisque commoditatibus.

Mon-

Montium.

1. A situ & radicibus. 2. à magnitudine. 3. ab iis quæ ibi proveniunt vel vivunt: ut metallicis, herbis & arboribus, frugibus, feris &c. 4. à fontibus inde scaturientibus. 5. ab aliis rebus memorabilibus ibi repertis, vel naturalibus, vel præternaturalibus, ut miraculis, prodigiis &c. vel artificialibus: arcibus, turribus &c.

Artificialium.

Ut ædificiorum, arcium, templorũ, sacellorũ, collegiorũ &c. 1. Ab Autore. 2. à materia. 3. à forma & amplitudine. 4. partibus & distributione: ut atrio, penetralibus, cubiculis &c. 5. situ, prospectu, & figura. 6. à fine & usu. 7. ab adjunctis: horto, puteo, fonticulo &c.

Rerum mixtarum & Entium collectivorum.

Quæ nempe partim naturâ, partim arte constant. Ut si quis laudaturus est regionem aliquam, urbem, hortum &c. primùm inculcet naturalia ceu materiam ex

ex suis caussis, proprietatibus, effectis, partibus &c. Deinde artificialia, tanquam formam, ex iisdem, sed suis. Specialius regio, portus &c. commendantur 1. Ab antiquitate & primis cultoribus. 2. à situ & locorum viciniâ. 3. ab incolis veteribus & recentioribus, eorumque moribus, ut humanitate, studiis, hospitalitate, tuto inter illos itinere; item ab appellationibus veteribus & recentibus. 4. A soli qualitate, amœnitate, aeris clementia, aliis naturæ dotibus, frugibus & annonæ copia, aquis, stagnis, mari, fluviis, animalibus, plantis, gemmis &c. 5. Ab amplitudine urbium, frequentia, & celebritate. 6. A politia & forma gubernationis, legibus &c. Ubi simul de regibus, ducibus, aliisq; magistratibus. 7. A cultu religionis, ecclesiis, scholis &c. 8. à rebus gestis & virtute bellica incolarum priorum & posteriorum. 9. à comparatione cum regionibus aliis, quas adæquat vel superat.

Alias in collectivo substantiali, ubi mul-

multæ substantiæ sunt aggregatæ, ut sunt Mundus, ecclesia exercitus, regnũ, provincia, gens, urbs, cætus, schola, ita precedat Laudatio. v. g. dicturus de regno Daniæ, consideret I. Nomen, unde dicatur, an à Dano primo rege &c. Et quæ olim nomina, Cimbria, Gothia &c. quæ hodiè partes sunt. II. Materiam & partes, ex quibus collectum est aggregatum, quæ diversi sunt generis; Terra, mare, & homines. Terræ 1. Situ. 2. magnitudinem cum confiniis. 3. partes primarias, ut Selandiam, Scaniam, Cimbriam, & Fioniam; & secundarias, ut Hallandiam, Blegingiam, Bornholmiam, Lollandiam, Falstriam, Langelandiam &c. 4tim Insulas minores innumeras. 4. Regna, terras & insulas concomitantes, quæ regi Daniæ parent: ut regnum amplissimum Norvegiæ, & quæ huic subsunt, Islandia, Gronlandia, Insulæ Ferrenses & aliæ plurimæ; Ducatus Slesvicensis, Holsatiæ, Stormariæ & Dithmarsiæ; Insulæ in mari Balthico in-

insignes, Gotlandia, Oesilia &c. Ex quibus omnibus constitui potest generalius collectivum: nempe imperium regis Daniæ in septentrione amplissimum, cujus fines: in occidente, America septentrionalis; in oriente Moschovitarū regio, Suetia & Polonia; in Meridie Germania; in septentrione ad polum Arcticum excurrit nullo vicino regno clausum. 5. Regni urbes, castella, propugnacula &c. inque iis Templa, Academias, Gymnasia, Scholas, armamentaria, munitiones, mercaturas, portûs, pontes, hortos, turres, palatia &c.

Maris 1. ingressûs & intercursiones. 2. concursûs Oceani & maris Balthici: quæ duo maria Dania discriminat triplici freto, videlicet inter Scaniam & Selandiam, inter hanc & Fioniam, & inter Fioniam ac Cimbriam. 3. Commoditates navigiorū, & ex his telonii, per orbem terrarū, ut ditissimi ita celebratissimi: cùm quidquid ex Oceano in Balthicum transire debeat, aut viceversa;

Dania

Daniæ regnum freto augusto permeaturum Regi tributum solvat. Quibus omnibus fit: ut Rex maris solus dicatur Rex Daniæ. 4. Naves & classes Danicas stupendas.

Habitatores. Quis statuum 1. Regia familia. Regis expendantur accidentia & donatam corporis quàm animi. 2. Nobilitas, in quæ senatores regni, equites, præsides regii, judices provinciales, officiales aulici, & reliqvũ cætus nobilium. 3. Clerus vel status Ecclesiasticus: in quibus Academici, magistri, Doctores, Episcopi, prælati, canonici, vicarii, pastores, præpositi, comministri, Diaconi, Ludirectores, Scholastici &c. 4. Cives ut mercatores, opifices &c. 5. Rustici; Regis, nobilium & Ecclesiasticorum. Horum omnium explicantur accidentia corporis & animi; & adjuncta; ut vestitus, bona, possessiones, ritus, leges, relligio &c.

III. Con-

III. Consideretur forma regiminis. IV. Efficiens hujus; Rex per Electionem. V. Finalis causa. VI. Accidentia; ut comitia, judicia provincialia majora & minora; itim summa & regia &c. VII. Regni cognata & pugnantia.

Simili fere modo laudantur urbes, arces, castella &c. corsiderando naturalia juxta & artificialia 1. In Antiquitate, origine, & conditoribus. 2. Situ, forma, partibus. 3. ædificiorum elegantia, munitionibus, structura. 4. aeris clementia, soli fertilitate, & rerum variarum copia. 5. Fluminibus irrigantibus, aliisq; aquis. 6. Amœnitate, vicorum latitudine & munditie. 7. Civium moribus, multitudine, virtutibus, studiis, fortitudine, urbanitate, opibus, mercatu &c. 8. Forma politiæ & senatu. 9. Ecclesiis & Scholis. 10. rebus præclare gestis &c.

Horti & agri extolluntur etiam ex naturalibus: fundo, loci fertilitate & amœnitate, fontibus, arboribus, herbis, viri-

viridariis, ubertate frugum & fructuum; Et ex artificialibus? figurâ sepibus, pergulis, pulvillis, deambulacris &c.

Laudationes accidentium.

Sunt vel qualitatum, ut virtutum, scientiarum &c. vel actionum & factorum (frequentiùs) vel passionum (rariùs). Ubique ducuntur argumenta laudis à causis efficientibus, proprietatibus & effectis, vulgò ab honestate, utilitate, facilitate aut difficultate, suavitate & sumuntur amplificationes à comparatis, exemplis & oppositis. Relationes ex fundamento, termino, subjectis quibus insunt, effectis &c.

Specialiùs virtutes, artes, linguæ &c. commendantur 1. à dignitate & honestate. 2. necessitate. 3. utilitate. 4. facilitate. 5. suavitate. Et addi potest amplificatio, à paribus, imparibus, cognatis & contrariis &c.

Facta, præmissâ narratione ignotorum 1. ab honesto, seu causis efficientibus, ut inventoribus, auctoribus, antiqui-

tate, virtute &c. 2. ab utili, vel effectis & fine. 3. A facili vel difficili, seu adjunctis circumstantiis, ut tempore, occasione, modo, loco, instrumentis &c. Potest & ex aliis inventionis locis laudatio desumi, in quibus tamen tres memorati excellunt. Amplificatio exempla & circumstantias adfert, & præcipuæ membra facti aptè transfert ad locos communes. Ut commendaturus factum Alexandri Magni filias & uxorem Darii post partam victoriam aspicere nolentis, nè illicitis flammis exardesceret; transferre potes factum ad locum communem de pudicitia & castitate sanctè colenda.

Pompæ triumphales, nuptiales, lusoriæ, funebres &c. Laudantur 1. à causis, seu institutoribus. 2. à finibus, quorum gratia institutæ; 3. à subjectis; personis, quæ interfuerunt. 4. ab adjuncto habitu & dignitate. 5. ab actionibus & apparatu, actionumque interpretatione. 6. a spectaculis & prodigiis ex-

exhibitis &c. Ex iisdem locis commendantur etiam convivia, nisi quòd ferc̃ula & colloquia pleniore sermone describuntur.

Laudatio minùs laudabilium

Est cùm laudantur res, vel non laudandæ, vel quæ minimum laudis habent, laudantur nimiùm. Sic Synesius calvicium laudavit, Favorinus quartanam febrim, Glauco apud Platonem injustitiam, Lucianꝰ muscam, Psellus pulicem, Erasmus stultitiam, Diocles rapam, alii cinerem, stercus, podagram, febrim. Et scribunt Jo. Brunum Italum publicè Diabolum laudasse.

Ejusmodi laudationum aliquæ in scholis exercitii causâ institui tolerariꝫ possunt; Cæteroquin minimè, præsertim si contra pietatem. Argumenta pleraq; sunt per accidens, ideoque facilè & copiosè inveniuntur, quia quæ sunt per accidens plura sunt iis quæ per se. Si rarior aliqua proprietas aut effectus

rei talis laudandæ recurrit, unde aliquid laudis speratur, magnificè per comparata & exempla amplificandus. Et quod in reipsa deficit, exornatione actionegꝫ compensandum. Hactenus de laudatione in speciali; unde per contrarium vituperatio specialis satis innotescit.

CAP. V. DE RELIQUIS, quæ ad genus Demonstrativum referuntur.

suntque 1.

Gratulationes. *Hæ sunt generaliores vel specialiores. Generaliores: cum gratulamur nobis ipsis, vel aliis, & postremæ huic subjiciuntur Gratiarum actiones & Dedicationes.* Specialiores sunt: Salutationes, exceptiones & gratulationes de felici adventu, valedictiones & dimissiones: *Gratulationes principi de regno vel principatu: eidē aliisꝫ de conjugio; & dicūtur* Epithalaia: *de natâ prole, & dicūtur dicta vel scripta* Genethiliaca seu natalitia;

bono-

honore acquisito, periculo magno declinato, valetudine recuperata, libertate vel pace restituta, opibus acquisiti &c. In quibus omnibus movendus affectus gaudii & lætitiæ.

1. Nobis ipsis gratulamur & gaudium nostrum exprimimus ob adventum magnæ alicujus personæ in domum nostram, auditorium &c. adferendo causas impellentes nos ad gratulandum nobis ipsis, item effectus & proprietates rei, ob quam nobisipsis gratulamur, & amplificationem ex comparatione & exemplis. Vide talis exemplū Orationis apud Muretum & Lipsium ob adventum principis in auditorium.

2. Aliis gratulamur de bonis, quæ adepti sunt vel possident, adferendo argumenta; quibus ad lætitiam moveri debet tum is, cui gratulamur, tum nos ipsi. Eaq; 1. a subjecto, cui bona ista contigerunt, ejusq; proprietatibus ac effectis, ut virtutibus & meritis &c. 2. a boni illius effectis & proprietatibus. Amplifi-

catio fit ex comparatis, exemplis, oppositis, causis boni parti, videlicet non casu non gratia præsatione, largitionib. &c. sed virtute, consilio, laboribus &c. In peroratione vota ac precationes adjungentur, ut bonum illud felix & diuturnum esse poterit.

Cùm principi vel Regi quis gratulatur, sicut in plerisque, quæ ad magnates fiunt, orationibus, præter priora & vulgatiora (quæ tamen prudenter & in loco debitèque etiam usurpanda) considerandum Oratori, ut ante omnia salutationem cum debito cujusque principis titulo præmittat; Deinde negotii expositionem peragat; Tertiò votum. In reliquis plerùq; cum vulgatioribus alia consentiunt.

Gratiarum actio est laudatio facti vel prædicatio beneficii in nos collati cum promissione gratitudinis vel compensationis.

Partes ejus ergo 2. sunt. 1. Beneficii accepti laudatio, explicatio & descriptio

ex

ex proprietatibus; quòd honestum, honorificum, jucundum &c. Et effectis; quòd nobis utile. 2. promissio memoris mentis, compensationis &c. Aut ubi vires nostræ beneficiis sunt inferiores, votum, quo Deus pro nobis beneficium compenset. Amplificatio sumitur 1. ab efficiente illius beneficii, quod vir magnæ autoritatis promtè præstiterit, non rogatus, non temerè, non ex merito, sed gratia. 2. à fine, non lucri causâ, sed studio benefaciendi. 3. ab effectis, quòd beneficium præstitum sit diuturnum, perpetuum &c. Affectus qui exprimitur, est amoris, honoris & cultus erga benefactorum. Qui movetur, est lætitia, voluptas, amor & benevolentia: nam gratiarum actio est invitatio ad plura secutura beneficia.

Dedicatio vel oratio nuncupatoria, Græcis προσφώνησις, acclamatio, est cùm alicui opus aliquod nostrum

dedicamus, offerimusq; adeoq; excellenti honore eum honoramus.

Olim scripta, arma, aliaq; res excellentiores soli Deo dedicabantur; post magistratui, præsertim imperatoribus, principibus &c. locum Dei tenentibus. Hodie hoc honoris genus eum pleriusque aliis rebus abusum passum est, ob quem tamen verus usus non tollendus.

1. Ergo titulus personæ præmittitur. 2. causæ impellētes & finales dedicationis afferuntur: ut non adulationis causâ, nec φιλαυτίας, ac si nostra nimium amaremus &c. sed materiæ pertractatæ causâ, singularis cuiusq; & animi benevoli, grati &c. causâ. Itaque hîc loci esse possunt; ab amicitia, cognatione, propensione quadam, naturâ, virtute, eruditione, judicii præstantiâ; studiorum similitudine, famâ, aliorum relatu, beneficiis, gratitudine, officio, materiæ utilitate, argumenti dignitate, operis summâ & intentione additâ. Atq; sic amoris in ipso affectum vicißim movemus,

mus, itim gaudii & voluptatis, ut oblato munere delectetur, ob offer[illegible]is animum, potiùs quam opus ipsum &c. Amplificatio texitur ab exemplis, oppositis &c. & a solutione objectionum, nè videatur autor quæstus causâ dedicasse, aut molestæ ingenii ostentationis, quæ planè vitanda, uti & omnis affectatio, & laus propria, inanium verborum copia &c. Exordium & peroratio succincta & abrupta sint, cum voto pro incolumitate ejus, cui dedicamus, & operis successu, ut benevolo animo accipiatur. Tota dedicatio si ad magnates, superiores, senes, severos, prudentes, doctos; brevis sit: nè fastidium legendi pariat prolixitas, neve lectorem occupatum ad ipsius operis inspectionem properantem demoretur diutius. Si ad æquales, juvenes, amicos familiares &c. discendi cupidos, varietate delectantes, suavitate longioris epistolæ gaudentes, logior etiam scribi potest, allectura animos vel excitatura ad virtutem, vel eruditura, & rerum va-

rictate oblectatura, vel probitatis, virtutis, ingenii, doctrinæ existimationem constitutura, vel amicitiam confirmatura, aliqua plurima utilia rhetorico artificio vel apertè vel obliquè effectura &c.

Salutatio *inter illos qui in uno loco præsentes vivunt; Et salutationis acceptatio, brevissimæ esse debent. Utraq; exprimit gaudium & æstimationem ac honorem. Cùm de felici adventu ei qui peregrè advenit, gratulamur, paullo solennior erit sermo, ut de diuturnitate absentiæ, de gaudio concepto ex ejus rerumque ipsius incolumitate; cum voto, ut perennet; de desiderio nostro ergo absentem, & nunc ad conversationem præsentis.*

Valedictio *vel oratio valedictoria peregrè abituri (nam ad præsenti in loco habitantem brevior esse debet & negligentior) constat 1. brevi expositione itineris propositi per causas impulsivas & finales.*

les. 2. Expreßione triſtitiæ, quòd converſatione illa ulteriori carendum. 3. Gratiarum actione pro converſatione & præſtitis bonis, votoq; pro ejus, cui valedicimus, incolumitate. 4. petitione favoris conſervandi perq; literas declarandi. Huic reſpondeo Dimiſſio continebit 1. Expreßionem triſtitiæ ob abitum valedicentis. 3. deſiderium diuturnioris converſationis. 3. approbationem rationum ineundi itineris. 4. votum reciprocum pro felici itinere. 5. promißionem favoris, benevolentiæ &c.

Gratulatio de conjugio vel Epithalamium non tantùm ligatè fieri poteſt, ſed etiam oratoriè vel prosâ oratione nuptiali. Conſtet 1. affectu gaudii & lætitiæ. 2. laudatione ſponſi, ſponſæ, utriuſq; familiæ, virtutum, officii, aliarũq; qualitatum. 3. voto & fauſtâ apprecatione fœcunditatis, perpetuæ felicitatis &c.

Aliæ gratulationes quæcunq;, ut Gecnethliacæ, ſive breviores, ſive ſolenniores & ſcri-

& scriptæ; itim aliæ supra in principio capitis citatæ, ex ejus rei, de qua gratularis, caussis, proprietatibus & effectis desumendæ.

2. Parentationes, Epicedia, Threnologiç, parētationes seu orationes funebres *continent 1. expressionem tristitiæ nostræ & aliorum, ductis argumentis & amplificationibus; ut in laudationibus personarum, voce ac gestibus ad severitatem ac tristitiam compositis. 2. Movendum affectum in aliis, ut consolationis, æmulationis, ad similes virtutes, devotæ ad mortem præparationis &c.*

3. Satyræ & Philippicæ. *Sunt vituperationes, invectivæ & vehementiores orationes moventes iram & odium, detestationem & abominationem in auditore, in accusato pudorem, pœnitentiam &c prout personæ accusatæ & facti perpetrati gradus fuerit. Et Philippicæ dicuntur, quando in personam aliquam publicam & illustrem suscipiuntur,*

tur, quia ita Demosthenes suas vocavit orationes Athenis habitas in Philippum regem Macedonum, ut eum in odium Græcorum adduceret: quod nomen Cic. retinuit in suis orationibus, quibus publice in Antonii insolentiam & luxuriem est invectus.

Argumenta in Philippicis sumuntur ex magnis proprietatibus magnorum factorum, personæ læsæ & personæ accusatæ. Amplificatio ex comparatione, exemplis, similibus, oppositis, sed omnibus grandibus. Exordium non nimis breve & abruptum sit, nè videaris temere in personam magnæ autoritatis irruere; Ostendat etiam quandam tristitiam, quòd à nobis taxetur persona tam nobilis, non ex invidia, petulantia &c. Peroratio præcipua momenta habeat repetita, addito aliquo, quod aculeum penetrantem in animis auditorum relinquat.

Tandem

Descriptiones quaruncunque rerum ali-

aliquando ad laudandum vel vituperandum instituuntur, de quibus in genere Didascalico.

CAP. VI. DE GENERE Deliberativo.

GEnus Deliberativum est quod versatur in suadendo vel dissuadendo, adhortando & dehortando, aliisq; quæ huc communiter referuntur.

Aristoteli συμβουλευτικὸν, *suasorium, aliis* ἐκκλησιαστικὸν ἢ δημηγορικὸν *concionale: quia apud Græcos in concione solebant consultare; quod apud Romanos in Senatu fiebat maximè.*

Objectum est quodcunq; in deliberationē cadit, aut in adhortationem in adhortando &c. *Tale nimirum, quod subjectum sit actionibus humanis magni momenti & propriè ad nos pertinens. Non ergo in deliberationem*

cadunt

cadunt 1. res necessariæ, ut Deus, Angeli, cœlorū motus. 2 impossibilia. 3. Finis actionis, de qua cōsultatur. In quibus omnibꝰ una pars jam modo determinata est, nec relicta ἀντιφάσεως δύναμις, ut hanc vel illam partem eligere queas. Nec ex contingentibus præter dictas res aliæ deliberantur, non quæ ex natura & fortuna; nec humanæ actiones nullius momenti & alienæ: quæ omnia ex professo vide apud Aristotelem in Ethicis; atq; in Rhetoricis, quantum huic proposito sufficit.

Aristoteles in Rhetor. ad Alex. 7. potissimùm objecta, de quib. deliberationes suscipi solent, recenset 1. De relligione. 2. De legum constitutione & emendandis moribus. 3 De politica gubernatione. 4 De confœderationibus. 5. De bello. 6. De pace 7. De apparatu pecuniæ, sive tributis. Sed Aristoteles cū veteribus civili philosophiæ potissimū Oratoriā adstrinxit; Cū loge sit generalior, Sic.n. Medici

cur-

consultant modò solitariè; modò cum sociis, de morbo hoc vel illo modo curando, an hic vel ille sit morbus &c. Sic & *alii.*

Finis *est* 1. intern9, peculiares *quosdam* affectus movere, *de quibus infra.* 2. Externus. Utilitas, honestas & dignitas, *quæ subordinantur, non opponuntur. Unde Arist. & Cic. in partit: dicũt finem esse utilitatem Cic 2. de Orat. dignitatem Idem 2. de Invent. Honestatem & utilitatem.*

Ad argumenta *invenienda, sciendum illa* sumi ex consideratione tã subjecti *quam* prædicati *tum etiam* objecti, *cui & pro quo consultatio instituenda. Et quia plerumq; de actionibus & passionibus quæri solet in consiliis, illarum proprietates potissimæ sũt in argumentorum inventione; quæ vel generales sunt & omnibus rebus suadendis communes: ut sunt: honestas, utilitas & facilitas: vel speciales, quæ ex quaq; actione*

ne & paßione ſingulatim fluunt. Enucleatius ita proponimus:

Loci e *quibus præcipua argumenta confirmationis ſumuntur*, ſunt cõmunes vel proprii. Hi *ſpeciatim* ſingulis claſſibus competunt, ut infra *in ſpecie videre licet. Alii enim competunt ſuaſionibus, & diſſuaſionibus, alii petitionibus, conſolationibus &c.* Illi quibusvis *claſſibus applicari poſſunt, ut 1.* Ab honeſto aut turpi. *Ab illo ſumuntur ſuaſiones, adhortationes, petitiones, conſolationes; Ab hoc diſſuaſiones & dehortationes. Turpe enim facere & de-* 11
teſtari omnes debent. Ad hanc cauſſam efficientem, impulſivam & finalem, quæ hominum voluntates ad agendum movent pertinent. Mandatum vel lex Dei, naturæ, gẽtiũ, poſitiva, virtutes omnes, dignitas, gloria, fama, vel infamia, ſpes bonorum & amicorum, exſpectatio inimicorum, æmulatio &c. Quibus omnibus, eorumq; officiis, quod congruit, honeſtum eſt, laude dignum & per ſe citra

tra exspectationem utilitatis ac præmii expetendum. Sed honestum, laudabile vel gloriosum pertinere potest ad propria accidentia, sicut utile & jucundum partim eò, partim id ad effectum. Quod enim efficit aliquid cõmodi, utile dicitur, quod aliquid voluptatis efficit, jucundum. Leges & mandata referuntur ad testimonia &c. ut appareat ex locis Dialecticis, quonam pertineant.

II. Ab utili aut inutili & pernicioso tamquam caussa finali, ut explicentur vel usus & fructus orituri; vel mala incommodaq́ futura & instantia. Huc referatur locus ab aliis peculiaris numeratus à præmiis, qui locus est ab effectibus.

III. A facili vel difficili periculoso, tanquam caussa efficiente instrumentali. Ubi modus rei gerendæ vel efficiendæ explicandus. Initio an possibile vel impossibile sit, quod suademus vel dissuademus; Deinde an facile vel difficile. ubi considerandæ 1. Animæ, corporis, fortunæ

tunæ &c. dona. 2. Occasio; quidq; possit diligentia, quid noceat socordia. 3. Circumstantiæ locorum, temporum, modi, personarum &c. an locus sit commodus, an tẽpus oportunum, an personæ, dignitati, sexui, ætati &c. conveniens: quia accessurum sit ex ope, consiliis, auxiliis superiorum, propinquorum, extraneorũ &c. 4. Antecedentia, connexa, consequentia seu eventus inde orituri per se vel per accidens.

IV. Ajucundo, suavi & molesto. Classem jucundorum vide apud Philosophum 1. Rhetor. 11.

V. A necessario &c.

Amplificatio (uti exornatio etiam & actio) sit parca, cauraq;, ne affectibus magis & ornamentis, quam rationibus suadere velle videamur. Sumatur 1. ex exemplis, comparatis, similibus & cognatis, ubi copiam historiarum peritus habet. 2. ab oppositione contrariorum, eorumq; solutione.

Exordia in genere Deliberativo sint bre-

brevia, desumta ex circumstantia loci aut temporis; vel ex negotii commendatione vel diminutione; reipsa; personâ; vel nostrâ, vel ejus qui dissentit vel ejus qui consilium petit.

Narratio aut nulla (cùm suasio sit futurorum) aut brevis & nervosa. Reliqua ex generali doctrina patent.

Affectus, qui potissimùm in genere Deliberativo & speciebus huc relatis moveri solent, sunt: spes, confidentia, patientia, lenitas, pœnitentia; ut in speciebus ordine infra apparebit.

Spei affectus movetur 1. argumentis â spei caußis efficientibus & proprietatibus, ut quod virtuti sit similis, virum non confusura &c. 2. Amplificatione à comparatis, exemplis, oppositâ desperatione, quâ nihil horribilius &c. 3. Exornatione floridâ & ad lætitiam comparatâ, ut apostrophis, communicationibus, prosopopœis &c. 4. Actione excitatâ, ad latitiam formatâ, ac si jam triumphus esset in parato.

Con-

Confidentia *movetur 1. ab objecto & remotione contrariorum, quæ vim habent nocendi, evertendi &c 2. Effectis, bonis consequentibus, & remediis malorum, quæ timentur. Amplificatio à comparatis & exemplis.*

Patientia. *1. à subjecto quod patitur, ejusq; virtutibus. 2. ab subjecto vel malis ipsis, eorumq; utilitate. 3. a consequentibus vel bonis sequturis. Amplificatio ut supra.*

Lenitas *& mentis placatio, iræ contraria, movetur ab objectis, eorumq; accidentibus: ut si antea nos multis beneficiis affecerunt aut adhuc possunt, & ita compensare quod deliquerunt; si peccata agnoscant & doleant; si inviti fecerunt, sine & proposito non malo; si humiles; si honorifice de nobis loquantur &c. Amplificatio sumitur ab exemplis & imparibus: ut iis, qui nobis digniores, & tamen ignoverunt, vel æqualibus, vel gravioribus offensis. Exornatio &*

actio-

actio sint humiles, moderatæ & placidæ, nil grande aut sublime spirantes.

Pœnitentia *movetur argumentis 1. à proprietatibus objecti & facti, cujus pœnitentiam movere volumus. 2. proprietatibus personæ, quæ turpe factum patravit. 3. Ab effectis facti turpibus, noxiis &c. Amplificatio à comparatis & exemplis. Exornatio & actio ut in ira.*

Dividitur cõsultatoria oratio. 1. In solitariã, cùm quis solus perorãdo consultat *consilium, quid sibi faciendum dicit;* & sociã, quando plures vota conferunt, & sententiæ inter se cõferẽdæ sunt: *Ubi si prior dicturus es, brevia & nervosa affer pro tua sententia argumenta. Si secundo vel tertio loco, addenda insuper refutatio brevis præcipuorum quæ fortè contra nostram sententiam allata. Amplificatio, ut supra in genere. Exordium & peroratio brevissima sint, ne odiosus fias alijs tempus præripiens.*

II. Quod sit vel cum refutatio-

ne

ne vel absq;. Illa *est*, cùm nõ tantùm cõsilium nostrũ confirmamus *argumentis*, sed & contrarium refellimus. Hæc; cùm *non pro & contra disputamus; sed brevibus* tantùm nostra adserimus.

III. In simplicem & conditionatam. Illa; quando altera pars simpliciter rejicitur, *ut altera in consilio capiendo retineatur*. Hæc; quando *neutra plane vel approbatur vel rejicitur; sed* additur conditio, *quando & quatenus* hoc & illud *in deliberatione* amplexandũ & *quatenus* rejiciendum.

IV. In absolutam & comparatã. Absoluta vel est *universalior seu* thesis; vel *singularior seu* hypothesis.

Thesis *est*, cum universaliter quæritur, an aliquid faciendũ *sit* nec ne, an consultum *ac utile aliquid sit* nec ne. *Ut: An urbes sint muris cingendæ.*

Hypothesis *est*, cùm id de quo quæritur, est res singularis *seu individua. Est q3 vel cõtractior: ut ã Sparta sit muro*

cin-

cingenda; vel diductior, addens aliquid circumstantiarum determinantiū, quod sit instar causſæ impulſivæ ad deliberandum. Ut; an invadentibus Perſis Sparta ſit muro cingenda à Lacedemonijs. In hypotheſi eadem ſumuntur argumenta, quæ ſupra allata in genere; niſi quòd ex accidentibus iſtius individui ſubinde aliquid adjiciendum, ut generalia reſtringantur.

Comparata eſt, quâ *non ſimpliciter* quæritur *quid faciendum vel omittendum; ſed dato delectu* utrum ſit faciēdum, præferēdum, poſtponendum &c. *Argumenta inveniuntur ex natura utriusque vel omnium, quæ in comparationem veniunt, Amplificatio ex oppoſitu & ſolutione objectionum contra collationem.*

CAP. VII. DE IIS QUÆ AD Genus Deliberativum referuntur.

Sunt. I. Adhortationes & dehortationes.

Differt

Differt adhortatio a suasione. Nã in hac est aliqua dubitatio, controversia ac consultatio. In illa est inflammatio ac incitatio auditoris ad aliquid amplectendum, omni plane absque hæsitatione. Unde Erasmus ait: suademus aut errantibus aut certè hæsitantibus; Exhortamur autem cessantes aut jam currentes.

Hortatoria oratio vel est auspicatoria vel confirmatoria. Hæc est, quâ auditorem confirmamus in suscepto jam proposito & currenti calcar addimus, ut perseveret ac pergat. Fit 1. laudatione propositi, ex hujus proprietatibus & effectis. 2. Excusatione, quòd non horteris acsi sponte non faceret, sed ut hortatu tamquam acclamatione propositum ejus probes. 3. argumento ab effectis perseverantiam in proposito sequuturis. 4. amplificatione, ut in genere Deliberativo in genere dictum.

Auspicatoria est, quâ incitamus aliquem ad amplectendum id quod non-

dum erat ante amplexus, vel ad certum aliquod virtutis genus, vel ad singulare aliquod consilium, factum &c. Argumenta inventionis & amplificationis sunt, ut in genere Deliberativo supra.

Affectus movendi: primarius est amor rei, ad quam hortamur; secundarii sunt 1. spes & exspectatio præmiorum & contrarius metus, infamiæ, incommodorum &c. 2. Æmulatio, vel certamen cum altero de laude ac gloria.

De hortationes contrario modo instituendæ, & movendi affectus contrarii aversationis & odii.

II. Commendationes, conciliationes & reconciliationes.

Commendationes partim ad Demonstrativum, partim ad Deliberativum genus pertinent: ideoq; parte priori, qua laudamus personam commendandam, loci commendationis ex genere Demonstrativo petuntur de laudibus personarum; parte posteriori, qua petimus ab aliquo, aut hortamur aliquem, ut perso-

nam

nam commendandam in patrocinium, fidnm, amicitiam &c. recipiat, loci commendationis ex genere Deliberativo sumuntur. Delectus autem habeatur locorum inquavis commendatione, pro qualitate personarum, rei & circumstantiarum: nec excedatur modus in commendando vel seipso, nam propria laus sordet; vel alio, nam onus est, ut dicit Euripides, inimium laudari.

Est enim Commendatoria oratio nostri ipsorum, quæ dici solet etiã insinuatoria & cõciliatoria. quá hoc agimus, ut nobis conciliemus amorem & æstimationem &c. vel pro alio, in cujo gratiam affectum in auditore movemus amoris & benevolentiæ.

In priori argumenta sint pauca & simplicia á personæ nostræ proprietatibo, ab effectu nostro in bonum publicum, itim eum ejusque amicos & cognatos, cujus benevolentiam aucupamur; parcè etiam vb effectis nostris & laboribus pro bono publico; itim á relatis & compara-

ratis, parentibus nostris, cognatis, amicis &c. Amplificatio parca ex locis ductis in genere Deliberativo.

Exordium & peroratio sint brevissima; & esse potest peroratio abrupta, si placet. Exornatio cauta & tecta, ne nimium luxuriet. Actio sit voce suavi & decorâ vultu oculorumque compositione ad honorandum eum, quem alloquimur.

In posteriori argumenta inventionis ducuntur à proprietatibus & effectis 1. personæ commendandæ. 2. personarum. quibus hæc conjuncta est naturâ, amore &c. 3. Ejus, cui commendamus. 4. Nostris vel nostro erga eum affectu & caussis, quæ nos ad commendandum impulerunt. Amplificatio sit ut in genere Deliberativo. Cautæ autem sint commendationes, nè vel ignoti commẽdentur, quorum mores non satis probati, multo minùs improbi, juxta illud Horat:

Qualem commendes, etiam atq; etiam adspice nè mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorẽ.

Neq;

Neque etiam prolixie nimis commendentur nobis vel sanguine vel affinitate, familiaritate, officio &c. devincti.

Conciliationes & reconciliationes in lenitate auditoris movenda consistunt: propriâ v. pœnitentia.

III. Lamentationes & consolationes.

Querula vel lamentatoria oratio *est, cum alias necessitates & calamitates nostras exponimus, ut ad misericordiam commoveantur.*

Argumenta inventionis commotionis sint 1. ab efficientibus, ob quas merito doleamus & lugeamus. 2 ab effectis, ex re ea orta vel orituru. 3. ab objecto eo, à quo passi sumus. 4. à subjecto, nobis ac quo patimur, & nostris qualitatibus ac conditionibus. 5. à circumstantia loci, temporis &c. quo patimur. Amplificatio 1. à comparatione aliorum nobiscum & leviorum calamitatum cum nostris. 2. ab oppositis, removendo suspicionem animi in nobis effœminati; quod fit 1. agnoscendo

scendo necessitatem malorum ferendo rum. 3. adferendo alios, qui hanc ob causam plus doleant quam nos 3. precando melioris aliquando fortunæ ortum.

Affectus hic movendi, primarius, misericordia: secundarii 1. odium ejus rei aut personæ (si humana) à qua passi sumus. 2. metus communionis malorum ad plures derivandorum; nisi nostri commiseratione tangantur, & eos coerceant, à quibus patimur.

Consolatoria, vel est Philosophica vel Theologica. In Philosophicâ argumenta cõsolantia seu erigentia sunt 1. à subjecto patiẽte, à quo humani nihil alienum putandum. 2. subjecti accidentib9, ut conscientia rectè factorum, nam culpa vacare, magnum est solatium; animo excelso &c. patientiam, constantiam aliasque virtutes non exuente. 3. à mali quod patitur, proprietatibus, causis, finalibus & effectis. 4. à consequentibus, ut spe liberationis &c. 5. à compara-

tis

ratis & exemplis aliorum similia passorum: quæ omnia vide fusius apud Chytræum.

In Theologica 1. ab efficiente videlicet voluntate, aut permissione Dei, cui acquiescendum: cùm vel justis pœnis premat, vel tanquam filios dilectos castiget. 2. à fine & effectis. Deus enim non punit, ut perdat, sed παιδεύματα sunt μαθήματα, ut in nobis exsuscitẽtur fides, invocatio, patientia & pietatis exercitia, hujusq; vitæ tædium & futuræ desiderium, ut compescantur concupiscentiæ carnis, ut conformes reddamur imagini filii Dei, ut majori gloria in cœlis cumulemur &c. 3. Exemplis Christi, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum & aliorum. 4. à facili seu caussa adjuvante, nempe promissâ Dei præsentiâ, ope S.S & mitigatione pœnæ, ut jugum portari queat. 5. à consequentibus, vel eventu, & ærumnarum immutatione, in hac vel altera vitâ exspectandâ. Quæ itidem fusiora vide apud Chytræum.

Atq; hactenus generaliores consolationum loci; nam specialiores prudenter considerandæ: cùm alia ratio sit consolandi in paupertate, alia in morte exilio, carcere &c. Videatur idem. Amplificatio, ut in genere supradictum. Sed subinde ab ipsis calamitatibus sumatur, quas fatebimur esse graves; aliàs odio habebimur tanquam eas extenuantes & non condolentes, adeoq; apud consolandum non conciliabimus nobis benevolentiam; quod nisi fiat, quid ponderis nostra habebit consolatio?

Affectus movendi. 1. Confidentia & fiet. atq; hinc resultàs quoddam lætitiæ præludium. 2. Amor nostri in consolando, & sensus condolentiæ. 3. Æmulatio apud generosiores, laudando eos qui similes dolores pertulerunt & propriam ipsorum animi magnitudinem laudantes in memoriam ipsis revocemus, ut se, ipsos æmulentur. Tacitè aliquando effæminatum animum objicimus, & pudorem movemus.

Exor-

Exordia & perorationes sint brevissima, uti & tota oratio: quæ simul nervosa ac penetrans. prolixum enim animus tristis & perturbatus aversatur. Exornatio nõ nimium luxuriabit, communicationibus & votis pottissimum abundans. Actio parca & moderata sit, atq; ad tristitiam & condolentiam composita.

IV. Petitiones & precationes, adq; eas Responsiones.

Gradus petitionis sunt: Medius, imus & summus. In medio gradu Petitio r. vel est pro nobis ipsis, vel pro aliis & dicitur intercessoria. *Utraq; studet non tantum affectum auditoris conciliare, sed etiam ad aliquid præstandum eum commovere.*

Argumenta movéntia sumuntur vel à persona petentis, vel personæ rogati, vel re quam petimus.

A persona petentis, nempe inopia & calamitate nostra.

A persona rogati, ex proprietate naturæ

turæ ejus, vel voluntate certo affectu & virtute prædita, quam vel mandatis vel promissionibus seu verbis, vel reipsa & exemplis antecedentibus beneficiorum similium in alios collatorum comprobavit.

A reipsa 1. ejus proprietatibus: tum generalibus, quòd sit honesta, danti gloriosa, possibilis & præstatu facili & c. tum specialibus, quod præsenti loco & tempori imprimis sit oportuna & c. 2. Finali causâ: ubi referendum, in quos fines conferenda beneficia conferre velimus, quæq; inde in petentem juxta & conferentem utilitates sint redundaturæ. 3. effectis & consequentibus, ut gratitudine, qua non tantum beneficia celebraturi simus & gratiam relaturi, sed & alios ad hujus beneficientiæ prædicationem invitaturi,

Amplificatio sit, ut in genere Deliberativo dictum.

Affectus movendi in auditore sunt 1. Amor, benevolentia & gratia. 2. Commisera-

miseratio seu misericordia. In nobis 1. Verecundia, ut agnoscat rogatus non nimium non esse impetendo impudentes. 2. fiducia erga ipsum. 3 spes. 4. Lætitia ac voluptas. 5. Votum, ut, quæ retribuere nequimus ob virium imbecillitatem (de qua conquerendum) altissimus rependat.

Intercessoria, *argumenta petit 1. à* persona rogati, ut supra. 2. a reipsa. ut supra. 3. ab ejus persona, pro qua petimus, ejus videlicet proprietatibus & effectas. 4. a nostræ personæ proprietatibus, quæ pro alio petit. Amplificatio sit partim ab exemplis, partim oppositis & præcipue duplicibus. 1. Præoccupatione, cur rem alienam agamus. 2. responsione ad obstacula, quò minus benefactor beneficiario aliquid præstare possit.

II. Petitio est aperta vel tecta. *Aperta, cùm aperte & directe petimus, adhibentes argumenta supra enumerata.*

Tecta

Tecta vel obliqua, quâ indirecte & tecte petimus: quando vel res petenda durior est; vel persona quæ petit, eavè pro qua petis, odiosior; vel persona rogata indignior. à qua petas, aut dignior, quàm ut petitione eam gravare sustineas. Propositio omittenda, aut cautè occultanda. Argumenta à longinquo afferenda, & ex apertis argumentis saltem illa; quæ supra dictum desumi à persona rogata. Affectus movendus benivolentiæ, utendumq; insinuationibus, excusationibus, veniæ deprecationibus &c.

In imo gradu petitoria Oratio dicitur expiscatoria seu cõmunicatoria, *quâ expiscamur ab auditore aliquid, quid nobis sentiendum aut faciendum sit (atq; ita est petitio quædam exprimens nostrum cognoscendi desiderium) atq; hæc facimus vel aperte vel tectè.*

In aperta expiscatoria, *(sive sit dogmaticum sive practicum thema) si simplex:*

plex est; asserenda quæ de eo scis, & causſæ cur plura de eo scire gestias, effectaq; cognitionis ad te juxta & eruditurum redundatura.

Si conjunctum; in utramq; partem argumenta & dubia adferenda, & petenda decisio. Amplificatio petitur ab oppositis & circumstantiis locorum, tẽporum &c. Tota dispositio sit brevis; Exornatio parca; Actio accommodata ad exprimẽdos affectus, videlicet 1. æstimationis ejus, quocum communicamus. 2. spei & fiduciæ de ejus erga nos benevolentia; Affectus movendus est benevolentiæ & candoris in communicanda sententia decisiva.

In tertia, ubi auditore vel non animadvertente vel invito aliquid expiscari volumus, his modis procedere potes. 1 In Theoreticis aliquam sententiam ingeniosè excogitando vel in practicis conjectando & dicendo: Ego sic facerem; aut fingas aliquem sic statuisse vel fecisse; at ille vel veriorem sententiam:

ape-

aperiet, vel talia dicet, unde rectius colligere licet; vel te irridebit, & contrarium sentiendum faciendumve colliges. 2. de Themate cognato aliquo apud auditorem differendum, ut ea occasione pertrahas eum ad sententiam proferendam. 3. Aliorum adducendæ sententiæ auditori vel charorum, & culpandæ; vel odiosorum, & laudandæ ut irritetur auditor ad communicandam sententiam.

Exordium sit fusius, alienius, abducens auditoris animum à tuo proposito. Peroratio talis si nō expiscatus es, quod voluisti, adhuc longius à proposito recede aversionibus &c. nē animadvertatur te expiscatorem egisse. 2. si expiscatus es, & vis hoc nescire auditorem, idem fac, & adhuc, talia te dudum ipsum scivisse. Si verò non interest alium scire te hoc ignorasse, exprime cōfessionem ignorantiæ & affectum honoris, æstimationis ac gratiarum actionis.

In

In fun[illegible] petitoria oratio dicitur mandatoria, *nam magnorum, Præsertim magistratus petitio mandati locum supplet : ideò etiam quia odiosi sunt nimis imperiosi, loco mandati utimur sæpe hortatu vel rogatione ; vel præcisione, occupatione &c. Ut cùm dicimus, non esse necesse mandato, cùm antea negotia ea curæ ipsi sint, cui mandemus, nec quòd fidei & industriæ ejus diffidamus ; sed quod rei necessitate & magnitudine moveamur.*

Si mandatum est Domini, regis, principis &c. argumentis non est opus quorum locum supplet voluntas mandantis ; nisi quæ movent spem gratiæ, promotionis &c. si citò & dextrè expediatur ; metum & timorem, si negligatur.

Si qui mandat, non est merus Dominus ; aut qui merus est, ex superfluo argumenta adducere vult, sumuntur ea 1. à causis impulsivis ad talia mandanda. 2. à rei mandatæ proprietatibus, ut necessitate, utilitate &c. 3tiam effectis, con-

consequentibus, causis adjuvantibus & ministris, circumstantiis loci, temporis &c quibus modus indicetur, quo expediantur mandata. Amplificatio sit parca, brevissima dispositio, imprimis exordium & peroratio.

Exornatio tropos ferè respuit, cùm res mandata propriissimis verbis exprimi debeat; ne ignorantiæ ullum pateat latibulum. Vox & vultus non nisi serium spirent, ne putetur mandari quid vel frivolum, vel ex animi levitate, vel nimia curiositate &c.

Hactenus de petitione; sequitur ei respondens.

Oblatoria, promissoria, seu officiaria Oratio, qua officia nostra petenti deferimus & pollicemur 1. ex causis impellentibus nos ad alterius amorem, vel etiam cultum & æstimationem, aut commoda promovenda, ut sunt 1. Virtutes ejus cui nos offerimus 2. Effecta vel merita privata in nos vel nostros, vel publi-

ca in Ecclesiam. Rempubl. rem literariam &c 3 similitudo naturæ studiorum &c 4 Amicitia, cognatio, affinitas &c. Fugiatur autem laus nimia & adulationi suspicio, utimq; prolixa nimis pollicitatio; præstat enim re magis quam verbis multis præstare. Amplificatio ut in genere Deliberatio Exordium & peroratio brevia. In perorationæ votum, ut detur occasio bene de ipso merendi & amorem testandi &c. Affectus movendi spes & fiducia.

Tandem Specialius ratione materiæ dividitur peritio, ut sit vel ambitoria amicitiæ, vel invitatoria ad conviviū; vel ambitoria spōsalitia, vel invitatoria ad baptismū &c. *Quibus* omnibus suæ respōsiones parātur. Ambitoria amicitiæ *alterius constat* 1 laudatione ejus, cujus ambimus amicitiam, ostendendo nos virtutum earundem esse studiosos. 2. Enumeratione amicitiæ illius effectuum & utilitatum.

3. Pro-

3 Promissione nos in amicitia colenda fore tales quales decet.

Affectus exprimitur desiderii; movetur autem benivolentiæ. Huic respõdens oblatio vel amplexatio amicitiæ 1. exprimit affectum lætetiæ ob oblatam amicitiam, ejusq; proprietates & effecta. 4. movet affectum spei & fiduciæ fore nos constantes & fideles, ad quod reciproce hortamur ambientem ex argumentis ejus propriis.

Invitatoria *oratio* ad convivium 1. præmittit salutationem. 2. negotii expositionem per personam vel autorem convivii, locum, tempus &c. 3. Expressionem desiderii cum invitato hilariter conversandi. 4. fiduciæ, non dubitare nos cum petitioni locum daturum. 5. Promissione benevolentiæ & talionis in negotio pari vel dispari. Sunt & aliæ huc pertinentes orationes convivales, ut exceptoria in convivio, propinatoria pocu-li fraternitatis &c. excusatorias tenuis tractationis, gratiarum actoria, con-

vive

vivæ dimissoria &c. quorum formulæ, pro diversarum nationum consuetudine diversæ, neq; ita elaboratæ esse debent.

Invitatoriæ respondet 1. Cõdictoria, *præmissâ gratiarum actione, exprimens affectum lætitiæ & propositionem ad id cui magnâ petitione non opus, cum amico libenter convivemur.* 2. Aut excusatoria, *in quâ præmissâ gratiarum actione, obligatos nos ei fatemur, ac si interfuissemus convivio, exprimentes affectum 1. lætitiæ, ob invitanti valetudinem ad hilaritatem dispositam. 2. tristitiæ, quod ob invaletudinẽ luctum, abitum, aliave impedimenta comparere non liceat. 3. metus, ne in malam partem nobis imputetur. 4. spei, de ejus erga nos benevolentiâ amicum facile excusaturâ.*

Ambitoria conjugis *fit per alium ut plurimum 1. expressura in ambiente affectum amoris, desiderii, spei.*

2. Mo-

2. Motura in alio affectum benevolentiæ, lætitiæ &c. Utrumq; fit caussis impellentibus, proprietatibus & effectis, præmissâ brevi laude ambientis ex genere Demonstrativo.

Huic respondens Desponsatoria, quâ conjugium promittitur solenniter procanti. 1. Exprimit affectum nostrum & sponsæ erga procantem, per caussas impellentes, per ambientis proprietates & petitionem. 2. movet affectum sponsi erga sponsam & vice versâ. Et addito voto fit conclusio.

Si huic sponsus vel ejus vicarius respondere vult. Exprimet 1. affectum lætitiæ ob sponsæ traditionem, nullam diem illuxisse sibi lætiorem &c. Ex caussis impulsivis, ejus præclara familia, parentibus, propriis virtutibus &c. 2. benevolentiæ & gratiarum actionis erga sponsam, parentes q; & cognatos, qui eam tradiderunt, cum petitione ut benevolentiam constanter servent, & novo conjugio faveant.

veant. Conclusio fit voto adq; Deum precibus.

Invitatoria nuptialis *vel ad nuptias* continet 1. Salutationem. 2. Descriptionem brevem sponsi & sponsæ, eorumque qui nuptias apparant, & circumstantiarum loci, temporis &c. nuptialis. 3. Invitatio fit ad preces publicas pro novis conjugibus & nuptias præsentia condecorandas 1. ex efficiente & proprietatibus conjugii. 2. causâ impellente, videlicet benevolentia, sæpius erga sponsum, sponsam, parentes &c. declarata. 3. Effectu; videlicet novorum sponsorum, familiæque totius ad recompensandum & gratificandum promtitudine &c.

Huic respondet 1. *vel* condictoria, constans gratiarum actione, gratulatione & lætitia, voto, promissione præsentiæ & causis ad id nos impellentibus. 2. *vel* excusatoria, loco promissionis præsentiæ excusans futurâ absentiam ob impedimenta, & affectum movens fiduciæ, nos

ani-

animo adfuturos & votis. Confer orationes convivales.

Inviratoria ad baptismum est qua patrimi seu compatres invitantur, ut susceptores & sponsores sint. Constat 1. Salutatione. 2. Expositione facti, quod nata sit proles ejus sexus, eo tempore, loco &c. 3. Expressione gaudii ob benedictionem divinam in conjugio ideoq; affectu pio prolem Deo devovendi & per baptismum in Ecclesiam inserendi. 4. Invitatione præsentiæ ad hanc actionem, ut sit, qui invitatur testis baptismi & compater. 5. Promissione gratificationis & talionis in negotio pari (si invitatus tale ad negotium idoneus) vel quocunque dispari. Affectum exprimimus lætitiæ amoris &c. movemq; benevolentiæ, amoris reciproci &c.

Huic respondens condictoria procedit, varietâ saltem materiâ, ut condictoria nuptialis.

CAP.

CAP. VIII.

DE GENERE JUDICIALI, in genere.

GEnus judiciale est, quod in judiciis & controversiis forensibus olim tractabatur.

Hoc genus potißimùm excoluerunt Rhetores antiqui, nullum sicut hoc tam prolixè & sollicitè persequuti, quoniam illis locis & temporibus præcipuus oratoriæ usus in foro & judicio fuit extra quæ nullam penè habuerunt oratoriam. Nos præcipua de hoc genere delibabimus, non fori & judiciorum causâ quæ nostris temporibus moribusq; exspiravit, sed partim ob oratores antiquos intelligendos; partim quia pleraque non tantùm in judiciis, sed etiam extra alibi in usum venire possunt.

Finis est justum & injustum.

Classes hujus generis vel status sunt ut in parte communi dictum; *licet huc præcipuè ab antiquis rejecti.*

Affe-

Affectus in hoc genere movēdi sūt I. Metus & terror (cui confidentia opponuntur) quomodo autem incutiantur ostendit Aristoteles 2. Rhetor. cap. 5. videlicet 1. in genere eum incutiunt omnia mala quæ dolorem creare possunt. 2 signa rerum malarum & terribilium, ut sunt inimicitiæ, iræ, minæ &c. potentum & magnatum. 3. homines injusti, qui nobis malè volunt & consultò injustè agere student. 4 Magna aliquâ virtute præditi, quos offendimus. 5. Potentes, æmuli, invidi, competitores, dissimulatores, versuti &c. 6. qui secretorum nostrorum conscii sunt. 7. Qui nos injuriis affecerunt, aut à nobis affecti; nam illi lædere magis cupiūt & securi esse ab ultione nostra: hi ulciscendi ansam captant. 8. Qui ab aliis metuuntur vel à superioribus, nam cur non inferiorem lædet, qui superiorem aggressus est? vel inferioribus; nam nocendi malitiam usu contraxerunt. 9. Errata, quæ vel difficulter, vel plane non emendari possunt, ut

ut quòd vel media elabendi non supersint, vel non sint in nostra, sed adversariorum potestate. Summatim, quidquid commiserationem meretur, cùm aliis evenit, vel imminet, formidinem incutit. Exornatio contineat voces & tropos longo tractu horribiles auditu; interrogationes, communicationes, aversiones, exclamationes. Vox suspensa, interrupta &c. vultus crebrò mutatus, ad pallorem compositus &c.

II. Pudor (*vel confusio & dolor in malis præsentibus, præteritis vel futuris, quæ videntur ad læsionem existimationis nostræ pertinere*) *incutitur à quibuscunque vitiis objectis, quæ specialiùs memorata vide apud Aristotelem 2. Rhet. 6. Actio hîc fit vehementior, vox concitatior, vultus rugosior.*

III. Misericordia *vel dolor ob malum aliquod non merenti illatum movetur 1. ab objecto vel eo qui malum patitur, ejusq; proprietatibus, virtutibus & meritis, ut si æquales sint ætate, moribus,*

dignitatibus, genere (hæc enim conformitas excitat in nobis opinionem, eadem etiam nobis evenire posse) familiares, consangvinei &c. Maximè si non arctissimo familiæ vinculo nobis juncti sunt, tum enim mala sæpe tam atroica ut defleri nequeant: sicut Amasis, aut secundùm Herodoti Thaliam, filius ejus Psammenitus feciße legitur, qui cùm captivus filiã suam vestitu servili cum hydria aquatum missam videret, & filium vinctum mitti ad mortem, vultu humi demisso non ploravit: quendam verò suorum convictorum bonis spoliatum & mendicantem deploravit, defendens sese coram Cambyse hoc dicto: Domestica mala majora sunt, quàm ut defleri possint; sunt enim atrocia potius quàm miserabilia. 2. a malis ipsis rerumq; varietate, magnitudine, accidenti &c. ut sunt mors, morbi, corporum cruciatus, verba, senectus, penuria alimentorum amicorum paucitas vel spoliatio, divulsio

â fa-

à familiaribus, deformitas, debilitas, membri alicujus privatio aut mutatio. Plura videantur apud Aristotelem loc. d. cap. 8.

Argumenta confirmationis *sunt* In statu conjecturali 1. *à personæ de cujus facto quæritur*, effectis, vita anteacta *&c.* 2. *à caussa impellente* ad tale factum, *ut voluntate ira, odio, amore, avaritia, furore, invidia, vindicte cupitate &c.* 3. *à caussis instrumentalibus ministris, ut facultate ad illud patrandū, viribus corporis, animi promtitudine, copiis, opibus, spe perficiendi, celandi &c.* 4 *à caussa finali* & effectis facti, *ut lucro aut commodo obtinendis vel in commodis declinandis.* 5. *à circumstantiis, ut patria, loco, tempore, occasione, modo, instrumentis &c. juxta versum:*

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis,
cur, quomodo, quando.

6 *à signis antecedentib. cōsequētib. cōnexis &c. necessariis vel probabilib.* 7. *à testimoniis*

ſtemoniis *potiſſimũ. ut teſtib9, jurejurando, rumoribus, ſcriptis, pactis, promiſſis, quæſitis, præjudiciis, tabulis, chirographis, tormentis, propria confeſſione, Amplificatio potiſſimum ab exemplis.*

In ſtatu jurediciali, *ad probandum jurenè an injuria factum ſit aliquid, aut fiat, ducuntur argumenta 1.* à proprietatibus facti. *2.* facientis. *3.* objecti *circa quod aliquid fit. 4.* circumſtantiis *loci temporis &c. 4. Inartificiali* loco teſtimonii, *a jure naturali, ſcripto &c pacto, judicato vel exemplis, cõſuetudine, æquo & bono &c. Amplificatio a ſimilibus exemplis.*

Cùm inſtituitur examen facti, ut quam magna, vel parva ſit juſtitia vel injuſtitia alicujus facti. Loci ſint a cauſſis efficientibus, ſimilibus, facti ſubjecta & objecto, circumſtantiis & effectis. Amplificatio ut ſupra proximè.

Comparatio cùm inſtituitur in quocunque ſtatu, argumenta ſumuntur ex utraq; in comparatione veniente, &

oſten-

ostenditur in peroratione convenientia vel imparitas. Ut si quæratur utrum potiùs faciendum fuerit, vel utrum sit honestius vel justius, &c.

In *statu* definitivo *seu legitimo argumenta confirmationis sumuntur* à conditionibus bonæ definitionis. *In speciebus status illius prioribus quæ̃ ducantur, in genere Didascalico ostendetur, nempe de contrariis legibus, scripto & sententia, ambiguo. In statu ratiocinationis, definitivi specie, argumenta sumuntur à toto & genere, comparatis & contrariis, ostendendo bonam vel malam consequentiam. In statu translationis 1. ab adjunctis circumstantiis loci, temporis, personarum & rerum. 2. à contrario vel remotione & culpa aliena. 3. à testimoniis, legibus, pactis, consuetudine &c.*

CAP. IX DE GENERE JUdiciali in specie, & iis, quæ huc referuntur.

I. Accusationes.

Si factum est dubium & nondum probatum, præmittatur probatio ex argumentis status conjecturalis supra datis. Quando constat: Ducantur argumenta 1. ex facti natura, proprietate, effectis, consequentibus, efficiente sive persona accusata, ejusque proprietatibus. 2. ex ejus proprietatibus, adversus quem factum est commissum. 3. ex circumstantiis loci & temporis antecedentibus & connexis. Amplificatio ex comparatis, exemplis & oppositis. Exordium abruptum sit, peroratio longior, repetens præcipua argumenta & imprimens judicis memoriæ; & addens singulare aliquod argumentum ante non allatum, tanquam aculeum. Figuræ frequentiores ad accusatum sint interrogatio, aversio, occupatio, præteritio, ad judicem communicatio & obtestatio.

Affectus movendus in judice *est* ira & indignatio *ad pœnam debitam infligendam*. In accusato metus & terror.

II. Apo-

II. Apologiæ seu deu defensiones. Defensio vel est directa, cùm directè nos vel alios defendimus; vel indirecta seu purgatio, cùm fatemur factum & erratum; sed lenire illud studemus aliunde assumtis caussis, Estq; vel extenuatoria, cùm factũ putamus non magnà reprehensione dignum; vel excusatoria.

In defesione directa nostri, si negatur factum; *argumenta erunt 1. Ex personæ nostræ proprietatibus, 2. negatis & remotis caussis impellentibus; instrumentalibus circumstantiis facti, testimoniis. 3. Ex persona accusatoris, in quem accusatio retorquenda. Si non negamus, sed tanquam rectum & justum defendimus 1. præmittenda brevis facti narratio. 2. Adducenda argumenta factum esse rectum, justum &c. Ex facti proprietatibus & effectis, testimoniis legum divinarum & humanarum, consuetudine, exemplis.*

3. addenda refutatio argumentorum adversarii, aut confirmationi præponenda, si auditor gravi præjudicio contra nos præoccupatus. Amplificatio exordium & peroratio ut in accusatione.

Affectus movendus in auditore amoris & honestæ æstimationis de nobis & indignationis contra adversarium.

Eodem modo alium defēdimus, *nisi quòd ejus personam loco nostræ consideremus, & actionem ad conditionem personæ defendendæ componimus. Et si in judicio defendimus, crebriùs afferenda argumenta ex legibus, actis, judicatis, tabulis publicis, testibus, juramentis &c. Et refutatio erit accuratior.*

In extenuatione facti nostri *argumēta sint 1. ex facti natura, efficientibus, finalibus, effectis & proprietatibus. 2. Ex circumstantiis loci & temporis. 3. Ex subjecto facti, persona nostra, ejusque qualitatibus. 4. ab eo, in quem aliquid patratum. Amplificatio ex imparibus,*

ribus, majoribus, exemplis eorum, qui paria aut majora admiserunt. Exordium sit à longinquo insinuatorium, peroratio brevior. In exornatione Miosis dominetur; Affectus moveatur benevolentiæ & æquitatis erga nos.

In excusatione argumenta ducuntur 1. a causis efficientibus remotis, ut fato quodam communi hominum imbecillitate &c. 2. impulsivis, non data operâ, odio, malevolentiâ, nocendi studio sed casu, metu, affectu ut irâ &c. nos id commisisse. Et Rhetores vocant purgationem peculiarem status juredicialis speciem. 3. a caussa principaliore quam est accusatus, ut crimen & culpa transferatur in aliū, & tum Rhetores translationem criminis vocant, & peculiarem faciunt status juredicialis speciem. 4. a caussa impellente externa; quod injuriis lacessiti perpetraverimus, & vocant Rhetores relationem criminis. 5. Remotione caussarum instrumentalium & adinvantium. 6. Ex circumstantiis loc- &

temporis. Ex comparatis; ut est comparatio Rhetoribus dicta peculiaris status iuredicialis species. Amplificatio sit ab objecto, persona ejus cui nos excusamus, exemplis aliorum &c.

Ita & cùm alium excusamus aut alterius factum extenuamus, *procedendum; nisi quod loco personæ nostræ aliam substituimus*. Affectus movetur misericordiç.

In judiciis raro indirecta defensio locum invenit, cum judices non ex misericordia, sed præscripto juris judicent.

III. Deprecationes.

Deprecatio est cùm factum nõ defendimꝰ, sed simpliciter cõfitemur & veniã, misericordiam, clementiamque precamur, *Hic pro confessione 1. præmittimur explicatio facti seu culpæ admissæ. 2. Ejusdem proprietates & effecta. 3. Objectum in quod peccatum est. 4. Circumstantia loci & temporis, ante-*

antecedentia, connexa & consequentia. 5. facti exaggeratio ex persona nostra &c. Et hæc confessionem absolvunt. Misericordia & venia movetur argumentis tum generalibus de hominis conditione, debilitate &c. tum specialibus Ex persona nostra, ejusq; qualitatibus, ut affectu pœnitentiæ, quòd is qui deliquit, sit vir bonus aliàs, de multis benè meritus, utilis reipub. Ex familia honesta habens cognatos, affines amicos illustres &c. 2. Ex facti proprietatibus & circumstantiis 3. Persona ejus, quam deprecamur, ejusq; proprietatibus. 4. Ex fine & effectu, secuturam vitæ emendationem & expiationem peccati nostri per majores virtutes; cessurum in laudem misericordiæ, utile fore principi, magistratui, reipub. fore ut ipsi sibi de data venia post hac gratulentur &c. Amplificatio sit ex oppositis, quid secuturum sit, si errantes deseramur; item comparatis & exemplis aliorum, quibus venia in simili casu data.

Affe-

Affectus *ergo* movendi *1.* misericordia. *2.* benevolentia & amor, *3.* spes de nostri emendatione. *Actio omnis ad humilitatem & subjectionem comparetur.*

Cùm pro alio deprecamur, eodē modo procedimus, *nisi quòd alterius personā loco nostræ substituamus, & actio pro alio sit erectior atq; confidentior.*

IV. Reprehensiones, objurgationes, expostulationes.

Quibus affines sunt graves admonitiones & querelæ, exprobrationes, comminationes, execrationes *&c. Ideoq; eodem modo tractandæ.* Reprehensio mitior est quædam increpatio; objurgatio & expostulatio acerbiores.

In reprehēsione mitiori & admonitione *1. Præmittenda laus personæ. 2. necessitas reprehendendi contra nostram voluntatem. 3. Dicendum non tam nos, quam alios quosdam reprehendere. 4. In vitium potiùs ipsum quam personam insurgendum. 5. cum personam re-*

prehendere oportet, non facile hoc fiat in cœtu magno, & sumantur argumenta 1. Ex personæ reprehendendæ proprietatibus. 2. Ex facti effectis. 3. Ex circumstantiis loci & temporis, earumq; conditionibus. Amplificatio sit ex exemplis, præoccupatione oppositorum quæ pro sui defensione reprehendendus adferre potest. Videantur hæc fusius apud Leoninum de Epist. monitoria pag 77.

Affectus movendi: odium facti admissi, & pœnitentia.

In objurgatione cui exprobratio affinis est, *ubi increpamus eum in quem plus juris & potestatis habemus, ex iisdem locis sumuntur argumenta, addendo quæ sunt ex nostræ personæ proprietatibus; movendoq; affectum* pudoris & metus.

Expostulatio mixta est ex reprehensione & objurgatione, ideoq; simul odium, metus & pudor movētur, *quando vel cum amicis de neglecto officio, vel cum adversariis de illata injuria*

juria & contumelia expostolamus, ii-
ea exprobramus, ubi 1. præmittenda fa-
cti descriptio; et si negetur, ex caussis,
circumstantus & testimoniis. 2. adduc-
endæ ejusdem efficiens, quod sit studio
factum, non casu, errore &c. 3. Ejusdem
proprietates, quod sit contra pietatem,
honestatem, leges, juramenta, consuetu-
dinem &c. 4. Ejusdem circumstantiæ,
effecta & consequentia. 5. Objectum in
quod commissum, vir bonus, in autorita-
te constitutus &c. Amplificatio præter
ea quæ in reprehensione sint à comparatione minoris, & beneficiorum acceptorum antithesi.

CAP. X. DE GENERE DIDAscalico in gẽere, & in specie de orationibus ad textũ aliquem vel alterius sermonem alligatis.

GEnus Didascaliũ est quod in docẽdo versatur, & methodicè textum aliquem, sermonem, vel quæstionem seu themae explicando.

Obje-

Objectum *est* 1. textus aliquis explicandus, ut in orationibus textualib9. 2. Responsio ad alterius dãda sermonem, cui tanquam ad textum alligata ast. 3. *thema vel* quæstio quæcunque docenda & explicanda, *nec in aliis generibus locum inveniens. Quotuplices autem sint quæstiones vel themata, vide partem generalem c. de propositione.*

Loci è quibus *præcipua* argumenta *explicationis; aut cùm opus, confirmationis & refutationis*, sumitur *ex Dialecticis. ut* sunt 1. Definitio *nominis & rei, cui præmittitur, quando opus est, quæstio An sit.* 2. Divisio, *ut quæ species, partes &c.* 3. causæ & effectus. 4. Accidentia *& proprietates* 5. Antecedentia, connexa, cõsequentia. 6. cõparata, *ut similia, cognata, exempla.* 7. Contraria & pugnantia. *Si conjunctũ thema est explicãdum, utrag3 pars quæstionis, nempe subjectum & prædicatum per locos enumeratos ducatur, & argumenta minimè deerunt;*

Ex

Ex his autem non omnes omnibus quæstionibus adhibentur, sed pro diversitate materiæ delectus habendus.

Textus alicujus explicatio in genere.

In omni oratione textuali vel ad textum aliquem adstricta generalia hæc præcepta sunt sequenda:

I Ante tractationem textus resolutio tacita facienda, & considerandum an sit simplicis quæstionis seu thematis, an conjuncti, an utriusq́; ; & an, atq́; in quot partes dispesci necesse sit.

II. Exordium confici potest vel ex simili aliquo textu, vel contrario, vel re aliqua præsenti vel præterita ad præsentem textum accommodata.

III. Facta partitione, tacitè eruendus affectus præcipuus qui moveri debet, ad quem pleraq́, dirigenda.

IV. Si quæ falsa sunt in autoris sententia, refutanda & rejicienda.

V. Vera & convenientia eruenda, expli-

explicanda, augenda novis argumentis ab autore omissis, ad textum allatis & ad rem facientibus, atque amplificanda tam artificialibus quàm inartificiosis, seu sententiis & testimoniis aliorum autorum. Ubi notandum in sententiis aut testimoniis, citanda ea, aut in lingua, in qua peroras, aut eâ, quâ primitùs sunt scripta. Ridiculum enim est & ineptum Danicè aut Germanicè perorantem dictum aliquod S. Scripturæ citare Latinè; cum primitùs Hebraicè in Vet. & Græcè in N. Testamento scriptum sit; ideoq; aut ita citandum, aut linguâ eâ, quâ concionaris.

VI. Ubi in verbis vel phrasibus aliquid memorabilis Etymologiæ aut efficaciæ, breviter declarandum.

VII. Ubi aliquid obscuritatis vel ambiguitatis, enucleandum 1. ex iis artibus & linguis, unde termini vel phrases ambiguæ desumtæ. 2. Ambigua & obscura intelligenda secundum subjectam mate-

materiam; Voces, quantùm fieri potest, secundùm generalissimas significationes, & pauciora secundùm plura, itim secundùm verisimiliora aut quæ plerumque fieri solent. 3. Res magis quam verba spectanda & re cognitâ de verbis minùs anxiè est inquirendum. Atq; sic 1. absolvitur Tractatio ambigui & obscuri. 2. Commendatione nostræ sententiæ & interpretationis convenientis negotio proposito, menti scriptoris, æquitati, naturæ, tempori, conditioni, personæ, legibus, consuetudini communi intelligentiæ. 3. Refutatione adversarii interpretationis. 4. Comparatione hujus cum nostra. Atque hoc est illud ambiguum, quod communiter Rhetores constituunt peculiarem speciem status definitivi. Aliquando ambiguitas oritur aut etiam absurditas ex scripto; ut una pars defendat τὸ ῥητὸν verborũ, altera διάνοιαν, vel sensum & mentem scriptoris, ubi rursus Rhetores peculiarem ponunt

status

ſtatus definitivi ſpeciem, vocantes ſcriptum & ſententiam. In humanus, utrum potiꝰ æſtimandum & retinendum ſit, ratio diſcernet & æquitas. *Quod ſi autem utriusque partis rationes æquali pondere ſunt & gradu, pro ſcripto judicandum. Regula enim eſt univerſalis: A verbis, ſive propria & nativa ſignificatione in dubio ſine cauſſa legitima & prægnanti non eſt recedendum. Cauſſæ autem eſſe poſſunt 1. Si verba nimis ſint generalia, ut quærendus ſit ſenſus veritati, utilitati & honeſtati maxime congruens. 2. Si contra legis voluntatem, aut ejus mentem qui protulit. 3. Si ex verbis ſimpliciter intellectis reſultet abſurditas, inquitas &c. Aliàs pro ſcripto procedendum ſcriptoris collaudatione, ſcripti recitatione & collatione, quid ſequi conveniat, an quod diligenter perſcriptum, an quod acutè excogitatum, quærendum cur non expreſſiſſet diligentiſſimus autor ſententiã, adverſarius fingit. Tum adfer exempla,*

rem

rem judicatam &c. quam periculosum sit à scripto recedere. Pro sententia sic procedendum: Laudabit commodam scriptoris brevitatē, qui necessaria scripserit, facilia intellectu scribenda non putarit. Dicet calumniatoris esse, verba sequi neglecta voluntate; Deinde id quod scriptum, non posse fieri lege, natura more, æquo bono &c. quæ omnia scriptorem voluisse non dubitandum: Contrariam sententiam pugnare cum ratione, jure & legibus, natura &c. Tandem exempla quærenda, quibus sententia magis & voluntas scriptoris quam verba valuere. In divinis & Theologicis τὸ ἐντὸν vel verborū proprietas relligiosè tenenda est, si tantùm cum judicio rationis pugnat, ut in articulis de Deo de Christo, de Sacramētis, de resurrectione mortuorum &c. Sed si τὸ ἐν τόν simpliciter intellectum pugnet cum aliquo fidei articulo, aut manifestis scripturæ locis, quærauda est διάνοια ex genere sermonis, consuetudine loquendi, analo-

giæ

gia fidei, circumstantiarum antecedentium & consequentium collatione, materiæ subjectæ consideratione, alius scripturæ testimoniis, modò ex genuina materiæ tractandæ sede, & scriptura per scripturam explicanda.

VIII. Totus sermo in humanis ornatus sit tropis & figuris; In divinis quam proximè accedat ad sanos sermones Jesu Christi.

IX. Loci communes illustriores interspergi possunt & erui; aut sub finem ex textus visceribus eruti (non vi tracti) explicari.

X. In peroratione summa præcipuorum repeti & auditoris memoriæ infigi.

Chriæ vel sententiæ tractatio in specie.

1. Præmittatur laudatio tum autoris qui Chrian scripsit, tum sententiæ in genere, tum præsētis in specie. 2. Chri-

para-

par aphrasis & expositio succedat. 3. causa vel probatio, qua verisimilis sit sententia fitque ut plurimum inductione. Oppositum, quod inde consequitur, accedet. 5. simile unum vel plura. 6. Exempla, tam vera, quam ficta tum plura ejusdē generis, tum oppositi vel contrariæ sententiæ. 7 Testimonia & sententiæ aliorum tum pro tua, tum contra oppositam sententiam; 8 tum proximis superioribus exemplis convenientia, Peroratio pro libitu potest confici. Apthonius chriæ & autoris laudationem in Epilogo repetit.

Tractatio legis in specie.

Facta resolutione 1. Autor vel legislator indicandus & describendus, cujus autoritas (præsertim si rationes non suppetant hujus legis) amplificanda est, & addendæ leges similes aliarum gentum. 2. Objectum duplex; is, cui lata est; & rem, de qua lata est. 3. Causæ impul.

impulsivæ & finales inculcandæ. 4. Verbis si quæ ineſt obſcuritas aut ambiguitas, tollenda. 5. leges contrariæ conciliandæ, aut alterutra rejicienda. Rhetores peculiarem faciunt ſtatus definitivi ſpeciem ſtatum contrariarum legum; ubi notandæ Regulæ variæ 1. Ex cauſſa efficiente. Lex humana cedit divinæ, *nam Deo magis obediendum quam hominibus, Actor. 5.* Lex inferior cedit ſuperiori, generalis ſpeciali *ſeu privilegio. Ut generalis eſt: Non furtum facies, ſpecialis & ſuperior ad Iſraelitas: Spoliate Ægyptios. 2. Ex materia.* Leges ſecundæ tabulæ cedunt primæ. *3. Ex circumſtantiis temporis, loci, perſonarũ rerũ &c.* Leges veteres corriguntur & abrogantur novis. *4. Ex cauſſa finali & volũtate legislatoris:* ceſſante fine ſeu cõditione legis, ceſſat lex ipſa *ut finis, cur Deo in lege ſculptilia & imagines fieri noluit, eſt, ne adorẽtur, ne ſint Dii alieni &c. Exod. 34, 17.*

Levit.

Levit. 26. 1 Quâ conditione cessante sola factura non est prohibita; nam circa ea tempora ipse Cherubim aliquot fieri jussit ad Tabernaculi ornatum. Deinde considerandæ legis perfectio vel imperfectio, additio vel auctio, correctio, detractatio, detorsio, Recessus à lege &c.

Tractatio responsionis.

In oratione responsoria quæ adstricta est ad alterius sermonem vel orationem: Prima virtus est brevitas, ne gravetur memoria. Deinde consideratio personæ tum respondentis, tum cui respondetur, & rei ad quam respondetur. Tandem tacita resolutio instituenda sermonis, cui respondendum; & consideratio thematis, quale sit: an didacticum, an practicum, an mixtum, an simplex, an conjunctum &c.

In didactico, sive explicante sive probante, raro respondendi occurrit necessitas, nisi probans oratio contra te directa

est,

est, & tum ad argumenta repetita respondendum.

In practico attendendum, quis affectus exprimatur vel etiam moveatur, & an gratus sit vel ingratus; ut similis à te exprimi possit vel moveri in oratione consentanea seu amica, ut ad gratulationes, consulationes, invitationes ad amicitiam &c. contrarius in dissentanea seu adversaria. Ut ad invectivas accusationes, comminationes &c. in exprimentibus odium & movere studentibus metum & tremorem, nos vicissim movebimus affectum metus ac terroris; ex nostra vero parte contemtum. iram, indignationem &c. exprimemus.

Quantum fieri potest, respondendum eo ordine, quo ab alio sunt nobis allata, occultè tamen & ornatè: non nudè dicendo; Primò hoc allatum, secundò hoc, tertio hoc &c. sed respondendum, ut non dicatur responderi. Ubi verò diversa themata, ibi diversa capita summa recenseri possunt

CAP. XI. DE ORATIONIBUS explicatoriis variorũ thematum.

In thematе perfecto in genere.

SEcundùm seriem locorum Dialecticorum 1. Etymologia nominis explicetur; & si elegans, latiùs deducatur. Ambiguitates parcè recenseantur. 2. Definitio rei: quam accuratam orator non inquirit, sed descriptionibus contentus est: quam vel in principio explicationis adfert, post in membra sua resoluturus: vel in peroratione; ubi eam q. è priùs in tractatione dictis collectam exprimit. 3. Divisio: si generale quid explicetur, ut lux ex partium vel specierum enumeratione accedat; aut si accidens aliquod q. per gradus suos dividendum. 4. Causæ & effecta. Maximè vero triumphat Orator in effectis & causis impellentibus atq; instrumentalibus. 5. Propria accidentia & requisita pro ratione thematis

ab effectis distincta proponuntur. 6. Locus materiæ in qua vel subjecti in accidente explicando adhibetur: uti & objecti vel materiæ circa quam; ut in actionibus, virtutibus & vitiis enucleandis. 7. similitudinibus & exemplis res explicatur juxta & amplificatur: nec enim exemplorum solus usus est in thematibus conjunctis & generibus Deliberativo & judiciali; licet in his vis exemplorum major. Exempla petisolent ex Valer. Max. Promtuario Historico, & Theatro Zvingeri. 8. Locus totius & partium raro consulitur; nisi in substantiis corporeis explicandis. 9. Circumstantiæ loci & temporis adhibentur, atq; antecedentia & consequentia, ubi opus. 10. Paria & imparia, dissimilia, opposita variorum generum. 11. Testimonia & autoritates. Pulcrum enim est magnorum etiam autorum verbis & sententiis nostra stabilire. Sed nec nimis multæ sint, nec omnes, verum præcipuæ & ele-

gantiores. A quibus ne avoceris, quòd videantur aliquid affirmare vel negare adeoq; enuntiationum uaturam præ se ferre, potest aliquid respectu diverso esse & propositio & explicatio.

In thamate perfecto substantiali in specie.

Ut si de homine perorandum, adhibebit orator 1. nominis explicationem. 2. Genus & descriptionem per popularia accidentia. 3. partes essentiales, materiam & formam. 4. Accidentia propria & effecta. 5. cognata. 6. Pugnantia.

In themate perfecto accidentali.

Ut si de luce perorandum, fortitudine, temperantia &c. (nam quatitates ferè nunquam tractat orator) adhibebit argumenta explicationis 1. à nomine. 2. genere. 3. subjecto. 4. objecto. 5. causis efficientibus & finalibus. 6. proprietatibus & effectis. 7. cognatis & oppositis. Amplificatio ex ijsdem sit transpositis.

Relatio-

Relatorium descriptiones vide in Genere Demonstrativo.

In themate imperfecto, & 1. in individuis substantialibus, inanimatis, irrationalibus: ut sunt metallorum, arborum, brutorum, ceu Bucephali &c.

Horum explicatio infrequentior; procedit autem 1. ex Etymologia, quam sequatur descriptio; aut haec in finem rejiciatur, si individuum rarum & auditoribus ignotum. 2. Mentione speciei. 3. Causis, praesertim materialibus & efficientibus. 4. Accidentibus & effectis singularibus. 5. partibus illius individui, quae considerationem merentur. 6. Circumstantiis, antecedentibus; consequentibus. 7. cognatis, diversis & pugnantibus.

In accidente singulari, id est, in Accidente imperfecto individuali.

Hoc rarius tractatur; ut fortitudo Alexandri, justitia Aristidis, castitas Josephi. Tractatur 1. Etymologiâ. 2. Caussis inprimis subjecto. 3. proprietatibus & effectis. 4. cognatis & pugnantibus seu oppositis.

In relatione seu singulari sive universali.

V. g. sit dicendum de conjugio. Expendatur 1. nomen 2. Genus, ubi opus. 3. Relatum & correlatum v. g. mas & fœmina eorumque requisita, qui conjugium volunt contrahere. 4. Caussa vel fundamentum, tam remotum, quàm proximum: ut in hoc exemplo, consensus utriusq; personæ. Caussæ instrumentales, adjuvans &c. ut mediatores. 6. fines principales & minus principales. 7. Antecedentia, ut sponsalia nuptiæ &c. 8. Accidentia, concomitantia, effecta. 9. cognata, opposita, & pugnantia.

In singulari accidenti *additur 1. utriusq;*

trius relati explicatio, cum circumstantijs loci & temporis, ubi, & quando instituta relatio.

In parte vel ente incompleto, ut si de manu perorandum 1. describendū totum, cujus est pars. 2. & dividendum, ut ad partem pervenias pertractandam. 3. Explicandum nomen partis, ejusque notatio. Forma variis explicatur ab Oratore; & cum sit, potissimum effecta, actiones, cognata, pugnantia & diversa adhibet.

Materiæ expendatur origo, efficiens, relatio vel aptitudo (ut loquuntur) ad formā, accidentia &c. Si similaris est: partes nō opus est tractare. Si dissimilaris: totum dividendum ordine, in partes tum majores; tum minores. Post cujuslibet partis explicentur 1. Accidentia, ut quantitas, situs, connexio, temperies, qualitates, (primæ, secundæ & tertiæ,) figura. 2. Finis, usus, & effecta. 3 subdivisio in partes minores. 4. cognata, diversa & pugnantia

In parte aliqua accidētis, *ut si perorandum de prima operatione intellectus, apprehensione simpliciū; sumantur argumenta explicantia 1. à toto, quod explicandum. 2. à proprietatibus & requisitis. 3. ab effectis. 4. à cognatis. 5. a pugnantibus. Amplificatio ex ijsdem. Exordium à natura totius accidentis.*

In Ente concreto.

Resolvatur in partes, quæ deinde explicentur per locos juxta superiora præcepta, & ex abstracto facile intelligitur concretum. Ut si dicendum de viro forti, explicetur thema fortitudinis. Et quod abstracto convenit: tribuatur concreto. Sic si perorandum de consiliario. Si concretum thema est singulare, jungantur cum his præceptis superiora de thematibus singularibus.

In Ente collectivo substantiali

Videsis genus demonstrativū.

In

In collectivo accidentali, *ubi accidens præcipuè respicitur, (licet substantiæ includi possunt) aliter si qualitatis, aliter si actionis & passionis collectivum est, procedimus. Ex quibus duobus reliqua quæ occurrunt facilè æstimari possunt.*

In collectivo qualitatis *examinetur 1. Nomen. 2. partitio & enumeratio partium. 3. Formale, vel relatio & connexio harum inter se partium. 4. Efficiens inventionis & acquisitionis. 5. Causa finalis. 6. subjectum. 7. propria & effecta. 8. Cognata, diversa & oppositа. Ut si dicendum de eruditione, quæ est collectio habituum, quibus eruditus homo redditur.*

In collectivo actionis & passionis *quale in historicis offertur plerūq;, ut sunt Bellum, legatio &c. considerantur 1. Subjecta actionum & passionum primaria, eorumq; descriptiones. 2. Antecedentia. 3. Causæ impellentes, adjuvantes,*

vantes, instrumentales. 4. partes vel particulares actiones & passiones. 5. Circumstantiæ loci & temporis. 6. Concomitantia, effecta & consequentia. 7. Cognata & pugnantia varius. Aggregata actionum & passionum singularia seu individualia cum tractantur dicitur narratio: de qua in parte generali diximus, prout est pars orationis & membrum dispositionis: hic vero considerari potest separatim & per se.

Io Ente privativo.

Ut si de morte perorandum:

Explicatur 1. Nomen. 2. habitus oppositus ejusq; causse, propria, & effecta. 3. causæ. 4. subjectum. 5. Effecta & consequentia. 6. Cognata & diversa. Amplificatio sit ex oppositi habitu & cognatis.

In imagine rei.

In imagine verâ atq; in naturâ positâ

(ut

(ut sunt Iris, imago in speculo &c.) tractatio est 1. Nominis notatione. 2. Explicatione objecti repræsentati. 3. Subjecti & efficientium repræsentationis. 4. Imaginis proprietatibus, effectibus, & cognatis.

Imago ficta ab Oratore est vel fabula, vel Ethopœia, vel idolopœia, vel prosopopœia.

In fabula *1. videndum, quæ & quot rei proprietates declarentur. 2. Fabulosa explicatio per singulas partes applicetur ad rei proprietates vel effecta declaranda. 3. Argumenta sint veris argumentis similia.*

In Ethopœia, idolopœia & prosopopœia *1. subjectum describetur; cujus effingantur mores, vox, affectus &c. 2. Singula singulatim enucleanda, ac si nos ipsi talia ederemus.*

In themate falso & mendaci.

Ut si perorandum de Chimæra &c.

licet

licet thema tale ut simplex proponatur, tamen ceu conjunctum tractandum est, refutatione & rejectione argumentorum themati affictorum. Ornatus & actio Ironiam spirent.

In themate quæsto theoretico.

Nam practica potissimum in reliquis causarum generibus dominantur 1. Tacita præmeditatio præcedat thematum simplicium, ex quibus conjunctum constat tanquam subjecto & prædicato, ut felicius judicetur de statu controversiæ, & argumenta promtius copiosiusq; inveniantur. 2. Discernenda argumenta artificialia ab inartificialibus, necessaria a probabilibus &c. 3. Ex inartificialibus seligenda plus apud auditorem hunc vel illum valitura. 4. Probabilia uti & totum numerum argumentorum accommodabis loco, tempori, personis &c: Selectiora urgenda apud graves auditores

res. Refutatio, quando necessaria sit modestior, quàm olim; sine Ironijs, invectivis, scommatibus &c. Ubi graves sunt controversiæ res ipsæ moveantur, partiùs indulgendo tropis & schematibus.

CAP. ULT. DE MODIS Brevibus Orationes componendi & resolvendi.

Appendicis & auctarij loco hoc caput addimus, tanquam praxin maximè inculcans,

Praxis conscribendi Orationes hæc est.

1 *Considera thema de quo tibi perorandum ad quod genus causarum referendum potissimùm & quam speciem, & secundùm Præcepta in ijs ex parte speciali præscripta progredere: sive sit thema dogmaticum, illudq; simplex vel conjunctũ; sive affectuosum, ubi affectus aliquis movendus vel exprimendus.*

4.

2. In partibus orationis sequenda præcepta generalis partis.

3. Exornatio ex Rhetoricâ accedat; ita tamen ut magis attendas ad res ipsas quàm ornamenta; & magis ad figuras sententiarum quàm dictionis.

4. Amplificationi inservient figuræ ampliationis.

5. Tyronibus profuerint: Erasmus de copia verborum & rerum. Polyanthea Langij, & imprimis Theatrum Zvingeri, aut alij autores varij, qui eam materiam scriptis illustrarunt, de qua perorandum. Habendus autem delectus ne omnia absq; judicio in chartam conjiciantur (singula enim singulis locis & rebus applicari non possunt) sed præcipua ad propositum facientia & idonea deligantur, quæq; præsenti loco, tempori personis &c. accommodata.

6. Alios, qui in Republ. vel aliàs loco alio solenni dicere volunt, oportet multa legisse, audivisse, observasse, tam in rebus

quam

quàm verbis linguæ illius, in qua perorandum.

7. Sive ante tractationem Exordium conficias, sive post; nihil retulerit.

8. Nisi extemporanea fuerit oratio, proderit scribi totam de periodo ad periodum, aut saltem quoad præcipuas periodos, ob concinniorem verborum structuram & connexionem, facilioremq; memoriam.

Praxis resolvendi.

Qui orationem conficere potis est, nullo negotio resolvet; ut ædificium qui scit construere, facilius noverit destruere.

1. Præmitti potest autoris descriptio, nisi autor satis notus sit.

2. Causæ impulsivæ, vel occasiones ex historijs &c. quæ moverunt autorem ad scribendum.

3. Certum thema vel scopus orationi constituendus, ad quem referuntur omnia:

Et

Et judicium sit ex parte speciali Oratoriæ.

4. Ad quam disciplinam thema illud pertineat, ut accuratum de eo fiat judicium, dispiciendum.

5. An partes Orationis rectè se habeant & quomodo, ex parte generali discernendum.

6. Ex Rethoricis ornamenta, ex Grammaticis voces & phrases simplices dijudicabis, quæ earum proprietas, significatio &c. Ex logicis explicatio obscuriorum, ambiguorum, non relictè limitatorum &c. petenda.

7. Ostendendum, quomodo omnia artificia ad usum, transferenda.

8. Si orator vel deliquit, vel insufficientia dixit; corrigatur, augeatur &c. juxta cujusq; partis præcepta.

INDEX

INDEX CAPITUM.

PROOEMIUM DE Natura Oratoriæ:

Cap. 1. De Definitione & Divisione Oratoriæ.
Cap. 2. De Subjecto Oratoriæ.
Cap. 3. De fine & Usu ejusdem
Cap. 4. De Efficiente, ipso Oratore, ejusq; requisitis.
Cap. 5. De Convenientia & differentia Dialecticæ & Oratoriæ.

PARS COMMUNIS, de Dispositione Oratoriâ.

Cap. 1. De Dispositione totius juxta & cujuslibet partis Orationis ingenere.
Cap. 2 De Partibus Orationis formalibus ingenere.
Cap. 3. De Exordio.

Cap.

Cap. 4. De Narratione.
Cap. 5. De Propositione.
Cap. 6. De Propositi tractatione seu explicatione, & Confirmatione.
Cap. 7. De Confutatione.
Cap. 8. & ult. De Peroratione.

PARS SPECIALIS seu propria, De Inventione Oratoria.

Cap. 1. De Inventione in genere.
Cap. 2. De Generibus Causſarū in genere.
Cap. 3. De Genere Demonſtrativo in genere.
Cap. 4. De Laudationibus in ſpecie.
Cap. 5. De reliquis quæ ad Genus Demonſtrativū referuntur.
Cap. 6. De Genere Deliberativo.

Cap.

Cap. 7. De iis quæ ad Genus Deliberativum referuntur.
Cap. 8. De Genere Judiciali in genere.
Cap. 9. De genere Judiciali in specie, & iis quæ huc referuntur.
Cap. 10. De Genere Didascalico in genere, & in specie de Orationibus ad textum aliquem vel alterius sermonem alligatis.
Cap. 11. De Orationibus explicatorijs variorum thematum.
Cap. ult. De Modis brevibus Orationes componédi & resolvendi.

FINIS.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn745842488/phys_0262
DFG




Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn745842488/phys_0263
DFG




Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn745842488/phys_0264
DFG









Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn745842488/phys_0270
DFG

cut sunt Iris, imago in sp
catio est 1. Nominis not
plicatione objecti repræse
cti & efficientium repræs
maginis proprietatibus, e
gnatis.

Imago ficta ab Or
fabula, vel Ethopæi
pæia, vel prosopopa

In fabula 1. *videndu*
rei proprietates declaren
si explicatio per singula
tur ad rei proprietates v
randa. 2. *Argumenta*
menta similia.

In Ethopæia, idole
sopopæia 1. *subjectum*
jus effingantur mores, vo
Singula singulatim enu
ipsi talia ederemus.

In themate falso &
Ut si perorandum a

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. ...
Patch Reference numbers on UTT
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11
4.5 5.0 5.6 6.3
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
the scale towards document